



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni  
Bredenbachij S. Th. D.||**

**Bredenbach, Tilmann**

**Coloniae Agrippinae, 1592**

**VD16 B 7378**

Liber Octauus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

COLLATIONVM  
SACRARVM LIBER  
OCTAVVS.

DE IVCVNDIS AC TER-  
RIBILIBVS QVORVNDAM  
visionibus.

*D. Gregor. Magnus homil. 19. in Euangelia exhortat,  
vt tempestinè à peccatis respiscamus, sequens ex-  
emplum commemorat.*

CAP. PRIMVM.

**R**EM, fratres, quæ nuper conti-  
git, refero, vt si vos peccatores  
ex corde esse conspicitis, om-  
nipotentis Dei misericordiam  
amplius ametis. Præsenti anno  
in monasterio meo, quod iux-  
ta beatorum martyrum Ioannis & Pauli Ec-  
clesiam situm est, frater quidam ad conuersi-  
onem venit, deuotè susceptus est, sed ipse de-  
uotius est conuersatus. Hunc ad monasterium  
frater suus corpore, non corde sequutus est.  
Nam valde conuersationis vitam & habitum  
detestans, in monasterio vt hospes habitabat,  
& monachorum vitam moribus fugiens, recede-  
re à monasterij habitatione non poterat,  
quia, vel quid ageret, vel vnde viueret, non  
habebat. Erat eius prauitas cunctis onerosa,  
sed



sed hunc omnes æquanimiter pro fratris eius amore tolerabant. Nam superbus & lubricus; si qua post hoc sæculum sequeretur vita, nesciebat. Irridebat verò, si quis ei hanc prædicare voluisset. Itaque cum habitu sæculari vivebat in monasterio, verbis levis, nutibus instabilis, mente tumidus, veste incompositus, actione dissipatus. Mense autem Iulio nuper elapso, huius quam nostris pestilentia clade percussus est: qui ad extremum veniens vrgeri cœpit, vt animã redderet. Et vltima iam corporis parte præmortua, vitalis virtus in solo pectore & lingua remanserat. Fratres adierant, eiusque exitum in quantum Deo largiente poterant, oratione tuebantur. At ille subito ad deuorandum se draconem venire conspicens, magnis vocibus cœpit clamare, dicens: Ecce draconi ad deuorandum datus sum, qui propter vestram præsentiam deuorare me non potest. Quid mihi moram facitis? date locum vt ei deuorare me liceat. Cumque hunc fratres, vt signum sibi crucis imprimeret, admonerent, respondebat virtute qua poterat, dicens: Volo me signare, sed nõ possum, quia à dracone premor. Spumæ oris eius faciem meam liniunt, guttur meum eius ore suffocatur. Ecce ab eo brachia mea comprimuntur, quia iam & caput meum in suo ore abiortuit. Cumq; hoc ille pallens & tremens & motiens diceret, cœperunt fratres vehementius

N n 5 orati.



orationibus insistere, & oppressum draconis  
 presentia suis precibus adiuuare. Tunc repen-  
 tē liberatus magnis cœpit vocibus clamare  
 dicens: Deo gratias. Ecce discessit, ecce exiit,  
 ante orationes vestras fugit draco, qui me ac-  
 ceperat. Mox autem seruiturum se Deo, & esse  
 se monachum deuouit: atque à tempore illo  
 nunc vsque febribus premitur, doloribus fa-  
 tigatur. Morti quidem subtractus est, sed ad-  
 huc plenius vitę restitutus non est. Quia enim  
 longis & diuturnis iniquitatibus pressus est,  
 longo languore fatigatur, & durum cogitatio-  
 nis purgationis durior concremat: quia diuina  
 dispensatione agitur, vt prolixiora vicia agri-  
 tudo prolixior exurat. Quis illum vnquam  
 seruari ad conuersionem crederet? quis tan-  
 tam D E I misericordiam considerare suffi-  
 ciat?

*Idem homelia 12. in Euangelia de horribili morte  
 Chrysaorii, exhortans vt tempestiuē ad meliorem  
 vitę statum nos componamus.*

CAP. II.

**R**Em, fratres charissimi refero, quam fini-  
 tentē audire vult charitas vestra, ex con-  
 sideratione illius vehementer instruitur. Qui-  
 dam vir nobilis in Valeria prouincia nomine  
 Chrysaorius fuit, quem lingua rustica popu-  
 lus Chryforium vocabat, vir valdē idoneus,  
 sed tantum plenus viciis quantum rebus: su-  
 perbia tumidus, carnis suę voluptatibus sub-  
 ditus.



ditus, in acquirendis rebus auaritiæ facibus accensus. Sed cum tot malis Dominus finem ponere decreuisset, sicut à religioso viro quodam, qui nunc superest, propinquo illius didici, corporis languore percussus est. Qui ad extremum veniens, eadē hora, qua iam de corpore erat exiturus, apertis oculis vidit tetros & nigerimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra se raperēt. Cœpit tremere, pallescere, sudare, & magnis vocibus inducias petere, filiūque suū nomine Maximum, quē ipse iam monachus monachum vidi, nimis & turbatis clamoribus vocare, dicens: Maxime curre, Maxime curre, nunquā tibi aliquid mali feci, in fidē tuā me suscipe. Turbatus mox Maximus affuit, lægēs & perstrepsens familia conuenit. Eos autem, quos ille insistens sibi grauius tolerabat, ipsi malignos spiritus videre nō poterant, sed corū presentiam in confusione, in pallore ac tremore, illius qui trahebatur, videbant. Pauore autem terre corū imaginis, huc illucq; vertebatur in lectulo. Iacebat in sinistro latere, ad spectum corū ferre non poterat: vertebatur ad parietē, ibi aderant. Cum q; constrictus nimis relaxari se non posse desperaret, cœpit magnis vocibus clamare, dicēs: Inducias vel vsque mane, inducias vel vsque mane. Sed cum hæc clamaret, in ipsis suis vocibus de habitaculo suæ carnis euulsus est. De quo nimirū cōstat, quia

Na 6 pro



pro nobis ista, non pro se viderit, vt eius visio nobis proficiat, quos adhuc diuina patientia longanimitè expectat. Nam illi tetros spiritus ante mortem vidisse, & inducias petisse quid profuit, qui easdem inducias, quas petiit, non accepit? Nos ergo, fratres charissimi, nunc sollicitè ista cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad benè agendum viuere, cùm iam compellimur de corpore exire.

*Ven. Beda lib. 5. cap. 14. historia Anglicana. De visione cuiusdam, qui commissorum penitentiam disferens, moriturus, vidit daemones codicem adferentes, in quo omnia sua peccata conscripta inuenit.*

## CAP. III.

**F**Vit quidam in prouincia Merciorum, cuius visiones ac verba & conuersatio plurimis, sed non sibi metipsi profuit. Fuit autem quidam temporibus Coenredi, qui post Edilredum regnauit, vir in laico habitu atque officio militari positus, sed quantum pro industria exteriori regi placens, tantum pro industria suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulo, vt confiteretur, & emendaret, ac relinqueret scelera sua, priusquam subito mortis superuentu tempus omne penitendi & emendandi perderet. Verùm ille, licet frequenter admonitus, spernebat verba salutis, seseque tempore sequenti penitentiam acturum esse promittebat. Inter hæc ta-

aus



tus infirmitate decidit in lectum, atque acri  
 cepit dolore torqueri. Ad quem ingressus  
 rex, (diligebar enim eum) multum hortaba-  
 tur, vt vel tunc antequam moreretur, poenitē-  
 tiam ageret commissorum. At ille responde-  
 bat: Non se nunc velle confiteri peccata sua,  
 sed cum ab infirmitate resurgeret, ne fortè ex-  
 probrarent sibi sodales, quod timore mortis  
 faceret ea, quæ sospes facere noluerat. Forti-  
 ter quidem vt sibi videbatur locutus, sed mi-  
 serabiliter, vt postea patuit, dæmoniaca frau-  
 de seductus est. Cumque morbo ingrauescen-  
 te denuò ad eum visitandum ac docendum  
 rex intraret, clamauit statim miserabili voce:  
 Quid vis modò? Quid huc venisti? Non enim  
 mihi aliquid vtilitatis aut salutis potes vltra  
 conferre. At ille: Noli, inquit, ita loqui, vide  
 vt sanum sapias: Non, inquit, insanio, sed pes-  
 simam mihi conscientiam certus præ oculis  
 habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulò ante, in-  
 quit, intrauerunt domum hanc duo pulcher-  
 rimi iuuenes, & residerunt circa me, vnus ad  
 caput, & vnus ad pedes. Protulitque vnus li-  
 bellum perpulchrum, sed vehementer modi-  
 cum, ac mihi ad legendum dedit, in quo om-  
 nia, quæ vnquam bona feceram intuens scri-  
 pta reperi, & hæc erant nimium pauca & mo-  
 dica. Receperunt codicem, neque aliquid mi-  
 hi dicebant. Tunc subito superuenit exercitus  
 malignorum & horrendorū vultu spirituum,

Nn 7 domum-



domumque hanc & exterius obsedit, & intus maxima ex parte residens impleuit. Tunc ille, qui & obscuritate tenebrorū faciei & priuata sedis maior esse videbatur eorum, proferens codicem horrendæ visionis, & magnitudinis enormis, & ponderis penè importabilis, iussit vni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferri. Quem cum legissem, inueni omnia scelerata, non solum quæ opere vel verbo, sed etiā quæ tenuissima cogitatione peccaui, manifestissimè in eo tetrīs esse descripta literis. Dicebatque ad illos, qui mihi assederant, viros abatos & præclaros: Quid hic sedetis, scientes certissimè, quia noster est iste? Responderunt: Verum dicitis, accipite, & in cumulum damnationis vestræ ducite. Quo dicto statim disparuerunt. Surgentesque duo nequissimi spiritus habentes in manibus furcas, percusserunt me, vnus in capite, & alius in pede. Qui videlicet modò cum magno tormēto irrepunt mea viscera in interiora corporis mei, moxque ad inuicem peruenient, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus in inferni claustra pertrahar. Sic loquebatur miser desperans, & non multò post defunctus penitentiam, quā ad breue tempus cum fructu veniæ facere superperedit, in æternum sine fructu penitentiæ subditus facit. De quo constat, quia (sicut beatus Papa Gregorius de quibusdam scribit) non pro se ista, cui non profuere, sed pro aliis videt,



nit, qui eius interitum cognoscentes, differre  
 tempus poenitentiae, dum vacat, timerent, ne  
 improviso mortis articulo praeventi, impoeni-  
 tentes perirent. Quod autem codices diuersos  
 per bonos siue malos spiritus sibi vidit offer-  
 ri, ob id superna dispensatione factum est, vt  
 meminerimus facta & cogitationes nostras  
 non in ventum diffuere, sed ad examen sum-  
 mi iudicis cuncta seruari, & siue per amicos  
 angelos in fine nobis ostendenda, siue per ho-  
 stes. Quod verò prius candidum codicē pro-  
 tulerunt angeli, deinde atrum daemones, illi  
 perparuum, isti enormem, animaduertendum  
 est, quod in prima aetate bona aliqua fecit, quae  
 tamen vniuersa prauè agendo iuuenis obau-  
 bilauit: Quod si econtrariò errores pueritiae  
 corrigere in adolescentia, ac benefaciendo à  
 Dei oculis abscondere curasset, posset eorum  
 numero sociari, de quibus ait Psalmus: Beati,  
 quorum remissae sunt iniquitates, & quorum  
 tecta sunt peccata. Hanc historiam sicut à ve-  
 nerabili antistite Pechtelmo didici, simplici-  
 ter ob salutem legentium siue audientium,  
 narrandum esse putauit,

*Venerab. Bedae lib. 5. cap. 15. historiae Anglicanae. De  
 quodam, qui ad castigatorem vitam conuerſi diſſe-  
 rens, licet ſepius admonitus, vidit deputatum ſibi  
 apud inferos penarum locum.*

## CAP. IV.

**N**Oui ipse fratrem, quem vtinam non  
 nossem,



38 COLLATION. SACRAR.

noffem, cuius etiam nomen, si hoc aliquid  
 prodesset, dicere possem, positum in mona-  
 sterio nobili, sed ipsum ignobiliter viventem.  
 Corripiebatur quidem sedulo à fratribus ac  
 maioribus loci, atque ad castigationem vitam  
 conuerti admonebatur. Et quamuis eos audi-  
 re noluisse, tolerabatur tamen ab eis longani-  
 miter ob necessitatem operum ipsius exteri-  
 orum: erat enim fabrili arte singularis. Seruie-  
 bat autem multum ebrietati, & cæteris vitæ  
 remissioris illecebris, magisque in officina sua  
 die noctuque residere, quàm ad psallendum  
 atque orandum in Ecclesia, audiendumque  
 cum fratribus verbum vitæ, concurrere con-  
 sueuerat. Vnde accidit illi (quod solent dicere  
 quidam) quia qui non vult Ecclesie ianuam  
 spontè humiliatus ingredi, necesse habet in  
 ianuam inferni non spontè damnatus intro-  
 duci. Percussus enim languore, atque ad ex-  
 trema perductus, vocauit fratres, & mul-  
 tum mœrens, ac damnato similis cepit nar-  
 rare, quia videret inferos apertos, & sathanam  
 immersum in profundum tartari. Caipham  
 quoque, cum cæteris, qui occiderunt Domi-  
 num iuxta eum flammis vetricibus contradi-  
 ctum. In quorum vicinia, inquit, heu misero  
 mihi locum adspicio æternæ perditionis esse  
 præparatum. Audientes hæc fratres, ceperunt  
 diligenter exhortari, vt vel tunc positus adhuc  
 in corpore pœnitentiam ageret. Respondebat  
 ille



Ille desperans: Non est mihi modò tempus vitam mutãdi, cum ipse viderim iudicium meum iam esse completum. Talia dicens sine viatico salutis obiit, & corpus eius in vltimis est monasterij locis humatum, neque aliquis pro eo vel Missas facere, vel Psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. O quàm grandi distantia diuisit Dominus lucem & tenebras! Beatus Protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate, vidit cælos apertos, vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris Dei. Et vbi erat ipse futurus post mortem, ibi oculos mētis ante mortem, quò lætior accūberet, misit. At contrà, faber ille tenebrôsæ mentis & actionis imminente morte vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli, & sequacium eius. Vidit etiam suum infelix inter tales carcerem, quò miserabilius ipse desperata salute periret, sed viuentibus, qui hæc cognouissent, causam salutis sua perditione relinqueret. Factum est hoc nuper in prouincia Berniciorum, ac longè lateq; diffamatum, multosque ad agendam & non differendam scelerum suorum pœnitentiam prouocauit. Quod vtinam exhinc etiam nostrarum fiat lectioe literarum.

*D August. lib. de cura pro mortuis gerenda, ca. 12. De mirabili visione cuiusdam Curmæ Tulliensis.*

CAP. V.

**H**Omo quidam Curma nomine, munici-  
pij



pij Tuliensis, quod Hipponi proximum est,  
 curialis pauper, vir illius loci duumviralitatis  
 & simpliciter rusticanus, cum ægrotaret ab-  
 latis sensibus penè mortuus iacuit aliquot die-  
 bus: tenuissimus flatus in naribus, qui ma-  
 nu admota utcumque sentiebatur, & exiguum  
 erat viuentis indicium, illum sepeliri ut exani-  
 mem non sinebat. Nullos artus mouebat, nul-  
 la sumebat alimenta: nihil oculis, nihil vilo  
 alio sensu corporis qualibet impacta molestia  
 sentiebatur. Videbat tamen multa velut in som-  
 nis, quæ tandem aliquando post dies plurimos  
 quasi vigilans, visa narravit. Ac primum mor-  
 vt aperuit oculos, Eæt aliquis, inquit, ad do-  
 mum Curmæ fabri ferrarii, & videat quid ibi  
 agatur. Quò cum itum esset, inuentus est  
 mortuus eo momento, quo iste fuerat sensi-  
 bus redditus, & penè à morte reuixerat. Tunc  
 intentis qui aderant, illum exhiberi iussum  
 esse, quando ipse dimissus est, indicabat: se-  
 que illic vnde redierat, dixit audisse, quod  
 non Curma curialis, sed Curma faber ferrari-  
 us ad loca illa mortuorum præceptus fuisset  
 adduci. In illis ergo visis tanquam in somni-  
 is, fuit inter eos defunctos, quos videbat pro  
 meritorum varietate tractari. Agnouit etiam  
 nonnullos, quos nouerat viuos. Ipsos autem  
 verè mortuos forsitan credidisset, si non in-  
 ter illa quasi somnia sua, vidisset etiam quos-  
 dam, qui nunc vsque adhuc viuunt, clericos  
 vide-



## LIBER VIII.

361

videlicet aliquos regionis suæ, à quorum ibi presbytero audiuit, apud Hipponem baptizaretur à me, quod factum esse dicebat. Videtur itaque in illa visione presbyterum, clericos, me ipsum, nondum scilicet mortuos, in qua postea vidit & mortuos. Cur non etiam illos sicut nos vidisse credatur, utrosque scilicet absentes atque nescientes: ac per hoc non ipsos, sed similitudines eorum, sicut etiam locorum. Nam & fundū vidit, ubi erat ille cum clericis presbyter, & Hipponem, ubi à me quasi baptizatus est. In quibus locis profectò non erat, quādo illic sibi esse videbatur. Nam quid ibi ageretur eo tempore, nesciebat, quod procul dubio sciret, si verè ibi esset. Visa sunt igitur ista, quæ non præstantur in ipsis rebus ut sunt, sed in quibusdam rerum imaginibus adembrantur. Denique, post multa quæ vidit, etiam in paradysum se introductum esse narravit, dictamq; sibi esse eū inde dimitteretur: crediturus ad suos; Vade baptizari, si vis esse in illo loco beatorum. Deinde ut à me baptizaretur admonitus, iam factum esse respōdit. Cui rursus ille, qui cum illo loquebatur: Vade, inquit, verè baptizare, nam illud in visione vidisti. Post ista conualuit, perrexit Hipponem, Pascha iam appropinquabat, dedit nomen inter alios competentes, pariter cum plurimis incognitus nobis: nec ille mihi visionem, nec cuiquam nostrorum indicare curavit. Baptizatus



zatus est, peractis diebus sanctis remeavit ad propria. Biennio vel amplius transacto, ego cuncta hæc cognoui. Primò per quendam meum eiusq; amicum, in conuiuio meo, dum quadam talia loqueremur. Deinde institi ac feci, vt hæc mihi præsens ipse narraret, attestantibus honestis ciuibus suis, & de mirabili eius ægritudine, vt iacuerit penè mortuus per dies plurimos, & de illo alio Curma fabro ferrario, quod commemoravi superius, & de his omnibus, quæ cum mihi diceret, etiam tunc ab illo audiuisse recolebant atque firmabant. Quamobrem sicut vidit baptismum suum, & meipsum, & Hipponem, & basilicam, & baptisterium, non in rebus ipsis, sed in quibusdam similitudinibus rerum, ita & alios quosdam viuos eisdem nescientibus viuis. Cur non ergo ita & illos mortuos eisdem nescientibus mortuis? Cur non istas operationes angelicas credimus per dispensationem prouidentie Dei benevolentis & bonis & malis, secundum inscrutabilem altitudinem iudiciorum suorum, siue instruantur hinc mentes mortalium, siue fallantur: siue consolentur, siue terreantur: sicut unicuique vel præbenda est misericordia, vel irroganda vindicta, ab illo cui misericordiam & iudicium non inaniter cantat Ecclesia.

*Alexander ab Alexandro Genialium dierum lib. 6.  
cap. 21. refert sequens miraculum de homine, qui*



*curtusus è carcere, rursusq; in eum intrusus, inferna se loca adiuisse enarrauit.*

## CAP. VI.

Inter fabulosa miracula, & puerilibus fabulis similia, multas magnasque res, quæ credi dicique possunt, nullum tam impudens mendacium creditum est, quàm quòd hocce annos in Pelignis euenisse dicunt, quòd cum nouum commentum putaretur, & merè vulgatum, id verum postea fuisse, tamèna celebri, quæ vbiq; peruasit & vulgata est, quam multorum testimonio, qui rem geram didicere: non fictis sermonibus, sed certissimis experimētis compertum est. Quo autem pacto se res habuerit, hoc traditur modò in Pelignis oppidum vetustum est, cuius nomen prætereo lubens, licèt obscura origine, tamen tamen ignobile. In eo Dominus, qui vraxerat, superbè auareque ciuibus imperabat, ac trucibus dictis factisque in subditos seruilem in modum animaduertere solebat, quosque licet imperata facerent, neque segnius mandata exsequerentur, ob leues plerunq; causas, pœnis & damno multabat. Fortè autem cum homo quispiam alioqui bonus, sed tenui re familiari, inops atque despectus, ipsius domini venaticum canem, cuius miro studio tenebatur, ita verberare affecisset, vt ob id perisse videretur: quò id dominus rescisceret, vehementer offensus, cum truci & minaci vul-



164 COLLATION. SACRAR.  
tu grauiter increpitum, in pessimum coniecit  
carcerem, ibique quum vinctus graui custo-  
dia teneretur, post aliquot dies, hi, quibus di-  
ligens cura mandata erat, clauso iam carcere,  
& tam foribus quàm omni aditu perlepto, ne  
elabi posset, quum ad illum accederent, vt  
solebant, in eodem intus carcere nusquam in-  
uenire, qui diu conquisitus, quum non appa-  
reret, nullumque effugij vestigium exlaret,  
rem ad dominum retulere: quod quum credi  
vix posset, ipseque mirum in modum obstu-  
pesceret, post tres fermè dies, iisdem foribus  
pessulo firmatis, idem ipse, qui modo carceri  
addictus fuerat, imprudentibus omnibus, &  
nemine conscio, rursus in eodem intus carce-  
re intrusus apparuit: custodesq; vt cibum af-  
ferrent, aduocauit: qui quum properè accel-  
sissent, omnesque miraculo obstupescerent,  
eum vultu terro, & horribili facie, luxatis vir-  
que membris, aliter longè atq; pridem fuerat,  
conspexere: quem quum interrogassent, vnde  
elapsus, & rursus in eodem intrusus carcere  
foret, quibusque in locis fuisset, & vnde tam  
fœdo & terro cultu emerisset: ipse velut elin-  
guis, quum nullum proferret verbum, sed at-  
tonito stupentique similis foret, vt ad domi-  
num quanto cius admitteretur, postulauit: ha-  
bere quod illi properè nunciaret, magnum,  
nec differendum. Cumque ad eum protinus  
admissus esset, rem mirificam & admirabilem,  
ac



dictu audituq; formidolosa, & vix creden-  
 miracula dicere orsus fuit. Nam se ab infe-  
 remissum enarrauit: siquidem quum diu-  
 carceris squalorem ferre nequuerit, seu  
 speratione deuictus, seu iudicium reformi-  
 ans, inops consilij, malum dæmonem vt sibi  
 pesto esset, seque ex tam terro carcere relaxa-  
 re, aduocasse, dixit. Nec multò pòst dæmo-  
 nem secundo adpectu & terribili facie in eodem  
 carceri adspexisse, & secū pactum fuisse,  
 eodemque & ferreis claustris, non sine gra-  
 ti pressura extrusum, in loca deinde inferna,  
 & profundas vastitates, ac in fundum telluris  
 actum esse præcipitem, singulaque lu-  
 strasse, impiorumque supplicia, & sedes con-  
 ueleratas, æternasque tenebras, & ærumnas  
 uidisse, ac loca foetida & formidolosa, regesq;  
 & summos duces in abrupto hiatu & pro fun-  
 do voraginis densa mersos caligine afflictari,  
 & furiarum ardentibus facibus agitari: gemitus  
 & eiulatus, ac dies noctesque ploratus  
 mulierum & viroꝝ audisse: pontificesque  
 vidisse infulis & trabeis purpura, & auro di-  
 uinctis ac gemmis ornatos, aliasque miserabi-  
 les facies omnis generis hominum, ætatum,  
 ordinum, in cultu vario afflictas, & iacentes  
 inter præaltas voragines, alios immenso limo  
 haustos æternis suppliciis & nocte cruciari,  
 ipsorumque damnat scelera sempiterno do-  
 lore puniri: inter quos plures, quos nouerat ia-  
 vita.



vita, adnotavit, & præcipuè familiarem, quem  
 dum in vita ageret, æqualem sodalemque ha-  
 buerat, alloquutum dixit: ab eo probe agni-  
 tus, & mihi satis sermone requisitus fuit, quid  
 rerum ageretur, & quid reliqui spei sibi foret.  
 Ipsaque quum præ graui seruitio & crudeli  
 dominatu vsque se premi respondisset, illum  
 mandasse, vt domino enunciarer, caueret, ne  
 quid tale ageret in posterum, nèue graui tri-  
 bulo & iniquo vectigali subditos opprime-  
 ret: namque illi vacuam sedem, quam propè  
 cernebat, præstitutam esse prædixit. Et vt haud  
 dubius promissi foret, fidemque vt dicti ha-  
 beret, meminisse (inquit) illum debere secre-  
 ti cõsilij, & mutæ pactiois, quam dum vnà  
 militarent, & in castris agerent, clam vnũ  
 sent, quorum nemo particeps aut cõscius vn-  
 quam fuit: quod consiliũ quum memoriter  
 ille enunciasset, non solum dicta conuentu-  
 que, sed & singula verba, sponsionesque quib-  
 us vtraque adstrictus erat recensuisset, ipsum  
 dominum ordine hæc audiente, animo sermo,  
 & attentiore factum, mirũ in modum obtu-  
 pisse, ingenque animo formido incussa fuit  
 consideranti quonam modo, quæ sibi soli cre-  
 dita, & nulli vnquam enunciatã fuere, homo  
 ille hebes & tardus ingenio, quasi nomine af-  
 flatus, explorata haberet, eaque vultu interri-  
 to enunciarer. Adiciunt miraculo, eundem  
 interrogasse illum, cum quo sermo erat apud  
 inf.



inferos, qui nitido cultu vestitūque apparatus  
videbatur, nunquid aliquo cruciatu afflicta-  
rentur, qui insigni veste & auro conspicui fo-  
rent? illumque respondisse, perenni incendio  
interque maximos cruciatus, & sempiterno  
dolore vsque premi & afflicti, idque totum,  
quod auro & purpura fulgeret, ignem atque  
incendium esse. Et quum ipse id experiri vo-  
lens, propius manum purpuræ admouisset,  
admonitum ab eo fuisse, ne tangeret, & ta-  
men efficere nequisse, ut non ex caloris afflatu  
palmam sibi manus, quā tunc ostendebat, in-  
cendio & ipsi purpuræ admotam deflagraret.  
erat enim postulis liuentibus, & tetris hulce-  
ribus veluti tabe & igne sacro, maloque quod  
lacus serpere videbatur, ferè consumpta. Re-  
ferunt præterea qui illum audiuerunt, eum post-  
quam ab inferis emerit, quasi mente conster-  
nata, hebetiq; aurium oculorumq; sensu affe-  
ctus foret, semper cogitandum in rarum  
prodiisse sermonem, vixq; sæpius interroga-  
tum colloquenti respondisse. Vultu verò tam  
terro, & adspectu tam deformi reuertisse, ut  
qui dudum à coniuge & liberis probè agnitus  
foret, is postquam remeavit ab inferis, tam di-  
ro vultu totiūsq; facie corporis dissimilis effe-  
ctus est, ut vix eundē illum esse crederent: sæ-  
piūsq; obortis lachrymis, ob faciei diritatem,  
& speciem hominis fœdissimè mutatam, no-  
tos affinesque ipsum alloquutos fuisse: ægreq;



vt ante obitum, qui mos consequutus est, res suas dispensaret, ac liberis & posteritati consuleret, vitæ spatium habuisse.

*Excerpta quedam ex vita sanctæ memoriæ Christiane virginis, quam vocã: Mirabilem, edita à Thoma Cantipratensi, quam & cõpendiosè refert Dionysius Carthusianus libr. 4. de quattuor nouissimis, artic. 50. Meminit præterea illius doctissimus Episcopus & Cardinalis Iacobus de Viriaco, in vita S. Mariæ de Oegnies, & habetur prolixè in vita Laurentij Suriij 23. Iunij, ad quem lectorem vitæ legendæ audium remittimus. Recorlor autem, inquit, religiosiss. Dionysius loco citato, quod dum in pueritiâ frequentauit scholam in oppido S. Trudonis, frequenter audiri mentionem admirabilis istius Christiane, atque, vt dicebatur, aliqui tunc vixerunt in eodem oppido, qui nonerunt viderunt, qui ipsam gloriosam famulam in carne viderunt. De obitu Christiane Mirabilis, quid post obitum viderit, & quomodo vitæ restituta, admirabilem penitentiam pro animabus defunctorum egerit.*

CAP. VII.  
PROLOGVS AVTHORIS.

(additus ad cognoscendam historia veritatem.)  
Scripturi vitam memorabilis Christi virginis Christiane, id in ipso opusculi limine commemorandum putamus, quod venerabilis ille Iacobus Athonensis Episcopus, postea Romanæ Ecclesiæ Cardinalis in vita beatæ Mariæ



niz Oegniacensis à se edita, his ferè verbis commemorat. Vidi aliam (Christinam accipe) circa quam admirabiliter operatus est Dominus, ita vt cum diu iacisset exanimis, antequàm corpus eius monumento conderetur, anima in corpus reuertente, reuixerit, atque à Domino obtinuerit, vt in hoc sæculo viuens, purgatorium pateretur. Itaque multo tempore mirum in modum à Domino afflicta, quandoq; se volubabat in igne, nonnunquam hyberno tempore in aqua cõgelata diu morabatur, interdum in mortuorum sepulchra ingredi cogebatur. Tandem verò peracta pœnitentia, intacta pace vixit, tãtamque à Domino gratiam adepta est, vt crebrò rapta in spiritu, defunctorum animas vsque in purgatoriũ, vel per purgatorium absque vlla sui læsione, & ad suprema regna deduceret. Hæc quidem ille venerabilis Iacobus Episcopus de ea annotauit: ego verò indignus frater ordinis Prædicatorum ad Christi gloriam & lectoris ædificationem vitam eius conscribendam suscepi, imperito quidem & inculto sermone, sed certa veritate, quam habeo ex aliorum relatione. Neque temerè dixerim, certa me commemoraturum, cum tot planè testes producere liceat in per multis, quæ à me adferentur, quod tum in oppido Trudonensi rationis compotes esse potuerit. Neq; enim in angulis & latebris hæc facta sunt, sed planè in luce, & sub adspetu plurimorum.



rimorum: neque tam longa temporum spacia  
intercessere, ut ea potuerit obliuio abolere,  
& ab hominum memoria excludere, cum ab  
eius obitu vsq; ad præsens non nisi octo anni  
fluxerint. Ea verò, quæ nullus mortalium præ-  
ter ipsam nosse potuit, ab illis didici, qui se ea  
ex eius ore percepisse testati sunt. Certus au-  
tem sit quisquis hæc legerit, iis me testibus fi-  
dem adhibuisse, à quibus tam longè absunt fini-  
gendi libido, ut vitam potius ipsam perdituri  
fuerint, quàm à veritatis tramite deflecturi.  
Fatemur quidem, & res ipsa docet, quæ dicturi  
sumus, humana ratione plerumque capi non  
posse, quippè quæ pro naturæ usu & ordine  
fieri nequiverint: nec tamè negari potest pos-  
sibilia esse Deo præpotenti creatori: quàmquam  
nec sic ego vlllo pacto ea scripturus fuerim, ni-  
si me eius, quem dixi, reuerendissimi Iacobi,  
in maioribus testimonium confirmasset. Itaq;  
opusculum hoc ita distinguere placuit, ut pri-  
mo loco, quemadmodum educata sit & nu-  
trita, atque deinceps cætera, quæ ab illa gesta  
sunt, uti ea certissima & indubitata relatione  
didicimus, explicemus.

*De Christinæ patria & educatione.*

Itaque venerabilis Christi virgo Christi-  
na in oppido S. Trudonis in Hasbania (aliàs  
pago, qui Brustemum dicitur) honestis pa-  
rentibus orta est: quibus è vita abeuntibus,  
illa cum duabus sororibus relicta est, ijs natu-  
minor.



minor. Porro sorores illæ vitam suam religio-  
se & piè instituere cupientes, ita inter se sua  
munia partitæ sunt, vt maxima natu vacaret  
precibus, media domus & rei familiaris habe-  
ret curam: postremo loco nata Christina, ad  
pascua cuncta pecora custodiret. Quod illa, tã-  
etsi præ cæteris humilius & abiectius videretur,  
libens suscepit: nec Christus ei suam adhibere  
consolationem distulit, internæ suauitatis  
illi suppeditans gratiam, & secretorum cæ-  
lestium eam non rarò consciam & participem  
reddens. Interim tamen illa mansit omnibus  
incognita, soli Deo tantò notior, quantò oc-  
cultior cæteris. Vnde apud Esaiam (*cap. 24.*)  
glorietur Dominus: Secretum meum mihi,  
secretum meum mihi. Est enim verecundus  
amator Dominus IESVS.

*Vt mortua fuerit.*

Porro autem ab internis illis sanctæ cõtem-  
plationis exercitijs vires corporis eius adeò  
debilitatæ sunt, vt vitam cum morte commu-  
taret. Positum itaque in medio est corpus exa-  
nime, amicis, & imprimis sororibus eius acer-  
bè lugentibus: deinde manè ad templum de-  
portatum est: vbi, cum pro anima eius Missæ  
sacrificium offerretur, subito sese cõmouente  
corpore in feretro, illa surrexit, & mox instar  
auicula sursum scandens, ad templi trabes vs-  
que peruenit. Rei nouitate perterriti omnes,  
qui illic aderant, inde aufugerunt: sola soror

003

natu



matu maxima, non absque formidine illic per  
mansit. Sed t̄ autem Christina immota, donec  
peractum esset sacrificium. Eo absoluto, sacer-  
dote eam coniurante, coacta est descendere.  
Id verò quidam sic interpretantur, quod pa-  
rus & subtilis spiritus eius, ab humanorū cor-  
porum odore abhorruerit. Inde cum sorori-  
bus domum abiit, ciboque corpus refecit. Ve-  
nerunt autē ad illam speciales spirituales qui-  
dam amici illius, & quidam vel vidisset, vel  
passa esset percontati sunt.

*Quemadmodum è corpore educta, & in illud redacta  
fuerit.*

Tum illa: Statim, inquit, vt è corpore ex-  
cessi, animam meam exceperūt lucis ministri,  
Angeli Dei, deduxeruntque illam in locum  
quendam obscurum & horridum, animabus  
hominum refertum. Quæ verò tormenta eo  
in loco conspexi, ea tam immania & acerba  
fuere, vt nullus possit sermone explicare. Vidi  
illic non paucos vita functos, mihi, cum vive-  
rent, non ignotos. Valde autem miserata ego  
animas illas miserabiles, quarebam quis esset  
locus ille. Suspicabar enim esse tartarum. Re-  
sponderunt mihi duces mei, locum esse pur-  
gatorij, vbi peccatores, quos in vita quidem  
peccasse pœnituisset, sed non satis scelerum  
suorum meritas pœnas darent. Inde perduxerunt  
me ad inferorum supplicia, in quibus ite-  
dem cognoui quosdam, mihi olim in vita no-  
tos.



tos. Postea verò translata sum in paradisum  
vsque ad thronum diuinę maiestatis: vbi cum  
viderem gratulantem mihi Dominum, vltra  
omnem modum laetabar, quod arbitrarer illic  
me deinceps cum Domino in omnem æter-  
nitatem permansturã. At ille mox respondens  
desiderio meo; Reuera, inquit, dulcissima filia,  
hic mecum eris: sed nunc, vtrum è duobus ma-  
lis, optionem tibi facio, vel æternum hic nunc  
apud me permanere, vel redire ad terras, ibiq;  
in mortali corpore absque illius detrimento  
pœnas perferre, iisq; omnes illas animas, quas  
in locis purgatoriis miserebaris, liberare & e-  
ripere: efficereque vt homines adhuc in cor-  
pore manentes, tuę pœnitentię & vitę exem-  
plis ad me conuersi sint, à suis facinoribus ab-  
stineant & respiscant: peractisq; omnibus,  
ad me tandem multis aucta meritorum cu-  
mulis reuertì. Ego verò absque vlla cuncta-  
tione, sub conditione mihi proposita, dixi me  
velle ad corpus redire. Et pius Dominus, gra-  
tulaas quod me promptam obtulisset, iubet  
animam suo corpori restitui. Qua in re exse-  
quenda admirari licet, beatorum spirituum  
incredibilem celeritatem. Ea enim hora, cum  
in Missę sacrificio, quod pro me fiebat, diceret-  
ur primò, Agnus Dei, qui tollis peccata mū-  
di, &c. anima mea sistebatur coram throno di-  
uinę maiestatis: cumque tertio id repeteretur,  
illi me corpori reddidêre. Ita se habet & excuf-  
sus



sus meus è vita, & ad vitam reditio. Propter  
hominum correctionem & emendationem,  
ad corpus reuocata sum. Itaque deinceps oro,  
ne vos perturbent ea, quæ visuri estis in me.  
Excedent enim mentis humanæ caput, quæ  
Domino volente, fient in me: nec talia inter  
mortales quandoque comperta sunt. His au-  
ditis, admirati sunt amici eius, & non absque  
stupore, quæ futura erant, præstolabantur.

*Vt à cognatis capta, à Domino verò liberata, suo la-  
te virgineo se sustentârît.*

Cœpit deinde hominum cõuictum & con-  
spectum incredibili cum horrore fugere, &  
ad loca deserta, in arbores, ad turrim & tem-  
plorum, aut aliarum rerum excelsarum fasti-  
gia confugere. Id eius amici conspicati, quod  
putarent eam à malis dæmonibus occupatam,  
tandem multo labore comprehensam, in vin-  
cula ferrea coniecerunt. Vbi cum multas mo-  
lestias, præsertim ex hominum odore, mul-  
tâmq; penuriam pateretur, nocte quadâ di-  
uinitus adiuta, vinculis & compedibus disso-  
lutis euasit, fugitq; in remotam solitudinem,  
inftar auium illic degens in arboribus: eum-  
que egeret alimento (neque enim quamuis  
subtilissimum corpus eius cibo carere potuit)  
dirissimâque fame cruciaretur, nullo pacto  
ad hominum conuictum redire voluit, sed  
sola cum Domino manere in desertis locis.  
Itaque preces Domino offerens, suppliciter  
cum



eum rogavit, ut ipsius angustias & necessitatē benignissimæ misericordiæ suæ oculis respiceret. Vix precandi finem fecit, eum ecce ad se oculos reflectens, vidit ex aridis mammillis virginæ pectoris sui contra ipsa naturæ iura lac distillare. Mira profectò res, & præterquam in singulari & incomparabili Christi Domini virginæ matre, cūctis sæculis inaudita. Illum igitur lacteum liquorē alimenti loco sumens, ad novem hebdomadas suo lacte se sustentavit. Rursus autem à suis quæsita, reperta & capta est, & ut prius vinculis ferreis constricta, sed frustra.

*Ut per Mosam nihil læsa transferis.*

Liberata enim iterū à Domino, venit Leodivm: vbi sacrosanctas immaculati Agni Paschalis carnes esuriens, supplex rogavit sancti Christophori sacerdotem, ut ipsam multis angoribus correptam, sacra communione muniret. Promisit ille quidem se id facturum, sed addidit, necdū intra horam expedire se posse. Illa moram non ferens, ad alterius Ecclesiæ sacerdotem se contulit, petiitque ab illo similiter Venerabile corpus Domini Iesu. Is verò absque mora eius precibus se accommodans, illi satisfecit. Et ecce repente quodam imperu incitata, extra urbem aufugit. Miratur presbyter, & vad cum S. Christophori sacerdote fugientem insequitur vsque ad ipsas Mosæ fluminis ripas. Cumque speraret illam se ad ob-

O o s uias



uiaslati fluminis undas comprehēsurus, cum multo stupore cernunt sceminam veor & naturali corpore, haud aliter atque phantastico profundos penetrare gurgites, & in vltiorē ripam absque vilo sui detrimento euadere.

*Vt igne se mirabiliter cruciāru.*

Tum verò cœpit illa exercere, quorum causa à Domino remissa fuerat. Ingredebatur in arduos clibanos, coquendis panibus preparatos, & illis incendiis haud secus, atque aliquis è nobis, cruciabatur, ita vt præ angustia & dolore, horrendos ederet clamores. Postquam autem inde egressa fuit, velligium nullum alicuius vstionis in eius corpore visibatur. Quando ad manum non erant eiusmodi furni in hominum adibus, iactabat se in copiosos ignes, vel pedes tantum aut manus immittebat, tandiu illic tenens, vt nisi diuino esset seruata miraculo, non potuerint non in cineres redigi. Interdum deponēbat se in cacabos plenos bullientes aque vsque ad mamillas, vel si non essent profundi satis cacabi, vsq; ad renes, membra illa, quæ in aquam eiusmodi mergere non poterat, aqua feruenti perfundens. Etsi autem præ dolore instar parturientis clamaret, attamen nihil detrimenti in egredientis corpore apparebat.

*Vt in aquis geliāis se affligerit.*

Sub aquis Mosē fluminis hyberno tempore, cum rigerent omnia gelu, crebro & diu morabatur.



rabatur, sex & eo amplius diebus in eis perdu-  
rans. Accedente autem ad fluvium sacerdote,  
(qui eius gerebat curam) eamque per Christi  
nomen adiuuante, cogebatur inde exire. Sole-  
bat etiã hyeme sub molendini tota erecta sta-  
re, ita vt aqua, vertete rotam, in medium ver-  
ticem & totum corpus eius dilaberetur. Inter-  
dum in aquis natans, simul cum illis ferebatur  
in rotam, atque ita horredum in modum cir-  
cumcirca cum ipsa rota, membris omnibus  
mansit incolumis.

*Vt in rotis & patibulis se torserit.*

In rotis etiam, quibus piratę plerunque pu-  
niri solebant, instar eorum, qui illis excarnifi-  
cantur, contorquebat brachia & crura sua: nec  
tamen, postquam ab illis descendit, vlla in  
membra eius contritio vel fractura viscebatur.  
Nonnunquam in patibulo inter fures ab illo  
pendentes, se supponebat ad vnum aut alterũ  
dicim: sæpẽ in monumenta mortuorum ingre-  
diebatur, lugens illic hominum peccata.

*Vt in spinis et vepribus à canibus agitata, se lacerarit.*

Surgebat quandoque mediis noctibus, &  
totius oppidi Trudonensis canes in se concit-  
ans, ante illos ipsam insectans, instar ferę  
cuiusdam cursitabat: sicque per denia & per  
densas vepres & spineta agitata, aded ab illis  
compungebatur & lacerabatur, vt nulla cor-  
poris eius pars vulneris esset expers: & tamen  
multo fuso sanguine, nulla plagarum aut vul-  
nerum



nerum vestigia conspiciantur in eius corpore. Aliàs ipsa se sua sponte spinis & sentibus compungebat, vtoto corpore sanguine perfusa videretur. Multis id non raro cernentibus, magnæ fuit admirationi, vt tanta sanguinis copia in vno corpore abundaret. Nam præter has sanguinis profusiones, sapissimè permultum sibi sanguinis venæ sectione detrahebat.

*De corporis eius subtilitate & agilitate, & merendum quid ei acciderit.*

Corpus eius tantæ erat subtilitatis, agilitatis, & leuitatis, vt in arduis & excelsis ambularet, & instar passeris à tenuissimis arborum ramisculis penderet. Preces Domino oblauro, ad arborum vel turrium, aut aliarum rerum sublimium fastigia se recipere cogebatur, vt illic ab omnibus semota, spiritus sui requie potiretur. Inter orandum autem, cum mens eius esset diuinæ contemplationi intenta, instar liquefcentis ceræ omnia eius membra in globi cuiusdam formam conuoluebantur, ita vt corpus eius planè sphericum cerneretur. Illa autem spiritus ebrietate se remittente, & sensibus suas sedes suæque in membris loca repetentibus, in ericij speciem conglobatum corpus, ad pristinam redibat formam, membræque extendebantur, quæ in formis cuiusdam materiæ congeriem præ se paulò ante ferebant. Sæpè quoque visa est in palis sepium erecta stare, & Psalmos deprimere.

Molestum



Molestum enim illi erat, immundam humum contingere.

*Vi precibus religiosorum hominum non nihil eius vita temperata sit.*

Illa igitur pro hominum peccatis à se ipsa poenas reposcebat ita, ut iam dictum est. Sed cum multi desiderio videndi in illa admiranda Dei opera, à propinquis, & loginquis regionibus quotidie aduentarent, homines religiosi utriusque sexus in S. Trudonis oppido degentes, veriti ne, quæ in illa diuinitus fiebāt, humanæ mentis captū excederent, materiamque præberēt carnalibus hominibus opera Dei malignè interpretandi, ea præsertim, quod hominum conuictum fugiens, instar auis ardua loca peteret, & in aquis pisciū more diu maneret: sedulis precibus egerunt apud Dominum, ut miracula potentæ suæ in Christina ad communem hominum consuetudinē moderaretur. Nec verò spreuit Deus pias preces & lachrymas seruorum, suorum. Quodam enim die, spiritu vehementissimè eam impellente, ad Ecclesiam pagi VVellensis fugiens, cum cerneret apertū sacri baptismatis fontem, illi se totam immerisit. Inde verò fertur id affectu, ut eius viuendi ratio deinceps esset temperatior & accommodatior ad hominum consuetudinem, moderatiusq; se gereret, possentque commodius ferre & odores & conuictum aliorum.



*Ut spiritus eam compulerit eleemosynas emendicare:  
& quàm gratum sit Deo prestare eleemosynas.*

Prestantissimum Dominici corporis & sanguinis Sacramētum crebrò, maximeque Dominicis diebus, cùm multa deuotione percipiebat, ex eoque vt ipsa ait, & corporis robur, & ingētem spiritus letitiam capiebat. Nihil autem corū, quę propria illius erāt, & Christi causa dereliquerat, quęve hæreditario iure ad ipsam deuolui oporteret, vel essent deuoluta, in suos vsus cōuertere potuit: sed in cibum sumebat ea, quæ quotidie ostiatim emendicasset, vt eorum peccata portaret, quorum eleemosynis alebatur. Dicebat verò, ea causa diuinitus se compelli ad sceleratorum hominum petendas eleemosynas, vt ij per eas ad peccati horrorem & agendam pœnitentiam perducerentur: addens etiã, nulla re magis Deū flecti misericordiã erga peccatores, quàm si illi sint benigni & misericordes erga proximos. Nec vnquã sanè misericordia, nũquã benignitas aliò, quàm ad bonũ finem & felicem obiũ perducere potuit hominẽ. Possumus id exempli causa quodam Christianæ experimēto, vel testimonio confirmare. Die quodã intolerabili siti vexata, Deo iam instigante, ad mensam cuiusdã sceleratissimi hominis splēdidè apparatus accurrit, potum ab illo petens. Ille præter morem suum insolita humanitate commotus, vinum ei obtulit, vnde illa parum bibit. Ea causa contra omniũ

opini-





opinionem, qui virum nouerant, Christiana affirmavit eū in morte ad pœnitentiæ & contritionis gratiam peruenisse.

*Sub mortem quis eius vitæ modus fuerit.*

Extremo tempore vitæ suæ cibo admodū raro & quidem exiguo utebatur. Cum sanctimonialibus, & religiosis hominibus, vti antea consueuerat, noluit miscere colloquia: sed parum aliquid cibi capiens, & somno momentaneo resecta, mediis noctibus ibat ad deserta loca. Per id tempus nemo vnquam ridentem eam vidit, sed perinde affecta cernebatur, atq; solent illi, qui præ nimio dolore è potestate exierunt, & mente capti sunt. Incedebat orās, plangens, & multum mœrens, cuius eam pietæ causam autumant, quod de mundi fratu & malitia plures solito diuinitus reuelationes ei obrigerint. Illud vero incredibile eiulatu sæpius deplorabat, totum ferè genus humanum corporis pollutione corrumpi, eaque causa iram Dei, & animaduersionem vniuerso propè orbi Christiano imminere.

*De eius sub mortem agrotatione.*

Aduentate tandem eo tempore, quo morbo & agrotatione conficienda erat, tantum assidue contemplationis gratiam assecuta est, vt permolestum ei esset aliorum aciem mentis intèdere. Omnibus igitur posthabitis, Beaticem monasterij S. Catharinæ sanctimonialem rogauit, vt lectulum ipsi clam in cubiculo



lo componeret, simul indicans, morbum sibi imminere. Fecit Beatrix, & quidem libentissimo, quod illa voluit, decubuitque Christina, & morbo ingrauescente exercebatur. Cum iam autem tres hebdomadas ita laborasset, facram corporis Dominici communionem, & extreme unctionis oleum petiit. His perceptis, Beatrix in genua procumbens, orauit, vt priusquam è vita excederet, de quibusdam ipsam efficeret certiore. Illa verò tacente, Beatrix existimans alibi eam animo occupari, quaestiones suas distulit, atque aliquid factura operis, è cubiculo egressa est, Christina sola relicta.

*Vt secundo, tertioque obierit.*

Aiunt plerique saepius Christinam rogasse Dominum, ne ipsam morientem vllis miraculis cohonestaret, sed instar aliorum sine-ret migrare ex hac vita: id quod etiam praestitum est illi à Domino. Prius enim quam Beatrix ad eam esset reuersa, Christo vocante, spiritum exhalauit. Celeriter autem reuertens Beatrix cum socia sorore, corpus eius in terra exanime inuenit ita prostratum, vt solent cadavera defunctorum: sed vt equidem mihi persuadeo, ministerio angelorum. Ea re conspecta Beatrix, doloris quibusdam stimulis percuta, impatientius se gerens, ruit super defunctae corpus, clamans & eiulans non mediocriter. Interim verò identidem seiscitabatur ex ea, cur absq; illarum bona venia & sine sororum

com-



commédatione ad Dominum abiisset, ac tan-  
 dem spiritu vehemēti cōcepta fiducia, desi-  
 ro in defunctæ ora vultu, ita dixit: Semper  
 mihi Christina, dum viueres, obediuisti: Itaq;  
 adiuro te & obtestor per Dominum I E S V M  
 Christum, quem in vita ardenti desiderio a-  
 masti, vt etiam nunc mihi obedias: (Namque  
 potes per illum, cui iuncta es quicquid velis)  
 reuertarisque in corpus, exponasque mi-  
 hi, quod à te sub obitu cupidissimè mihi opta-  
 bam explicari. Mira res. Simulatque Beatrix  
 hæc ad aures mortuæ inelamauit, Christina  
 reuixit, sed grauius ingemiscens, anxioque  
 vultu Beatricem reuerberās, dixit: Cur meam,  
 Beatrix, requiem interpellasti? Cur me huc re-  
 uocare voluisti? Iam ducebar ad Christi cō-  
 spectum. At nunc mea soror, properè quic-  
 quid visum est, proponas, sinasque me, obse-  
 cro ad diu optata reuerti. Vbi Beatrix propo-  
 suit, quod voluit, ab ea responsum est ei. Inte-  
 rim sorores vndique congregantur ad illam,  
 quas postquàm crucis signo consignauit, ter-  
 tiò vita functa est, abiitque ad immortalia sæ-  
 cula sæculorum. Vixit autem ab eo tempore,  
 quo primo reddidit spiritum, annis duobus  
 & quadraginta dies, obiitque anno à Christo  
 nato millesimo ducentesimo vicesimo quar-  
 to, aut circiter.

*De eius sepultura, & corporis translatione.*

Humata est autem extra S. Trudonis oppi-  
 dum



dum in monasterio B. Catharinae, illicque septem annis corpus eius quieuit, in illud usque tempus, quo omnem eius monasterij structuram in locum propinquum magisque opportunum transfulere. Tum enim, vniuersis ciuibus congregatis, ad tumulum reuerēda Christianae clerus cum sanctimonialibus accessit: cumque inde amouissent operculum, tanta suauitas & omnes & singulos peruasit, ut cuncti pariter vna mente, vnoque ore conclamarent, Christianam & in vita fuisse mirabilem, & post obitum nihilominus gloriosam. Neque verò quisquam ambigit, morbis liberatos esse eos, qui cum fide congrua ad eius tumulum adire: sed eiusmodi prosequi, nobis non est integrum.

*Adhortatio ad agendam poenitentiam.*

Quæso te lector, diligenter animum adverte, quam nos iure meritoque culpandi simus, qui cum cernamus Christianam tot poenas, tamque immanes & diros cruciatus non tam propter sua, quam propter aliorum peccata pertulisse, ob culpas & malicia nostra poenitentiam agere reformidamus. Veniet certe quandoque, & celeriter veniet dies ille, quo nos libenter etiam his acerbiora simul toleraturi, si daretur locus poenitentiae, & ad negligenter quondam exacta tempora redire liceret. Et vix is, qui ad misericordie emendum oleum tumdemum se comparare volunt, quando nondi-

narum



narum tempus elapsum est. Venient ij cum  
 lampadibus vacuis, ianuamque pulsabunt, sed  
 omnem sibi sentient aditum præclusum, au-  
 dientque vocem illam sanè terribilem: Amen  
 dico vobis: Nescio vos. Vigilemus igitur, quia  
 nescimus diem neque horã. Merito illi exclu-  
 duntur, qui iam stertentes, diemque illum &  
 horam negligentes, nolunt lampades suas im-  
 plere oleo bonorum operum ex cõdignis pœ-  
 nitentiæ fructibus. Utinam verò audiant Do-  
 minum dicentem: Vigilate ergò, quia nescitis  
 diem neque horam, qua Dominus vester vè-  
 turus sit. Ecquid verò aliud per omnem vitam  
 suam Christina clamavit, nisi vt pœnitentiam  
 agerent homines, & nūquam non sese paratos  
 exhiberent? Hoc illa verbis multis, hoc lachry-  
 mis, hoc plãctu & eiulatu, hoc insinatis clamoribus,  
 hoc eiusmodi viuendi exemplis docuit,  
 qualia de nullo alio, qui eam aut antecesserit,  
 aut secutus sit, vel scripto cuiusquã vel sermone  
 perceperimus: in laudem & gloriã Christi,  
 qui cum Patre & Spiritu sancto viuut & re-  
 gnat Deus per omnia secula seculorũ. Amen.  
*Beda lib. 5. cap. 13. historie Anglicane sequentem hi-  
 storiam valdè memorabilem refert. De Drihelo  
 in prouincia Nordan Humbrorum, qui à mor-  
 tuis resurgens, multa & tremenda & desideran-  
 da, quæ viderat, narrauit.*

## CAP. VIII.

**H**is temporibus miraculum memorabile  
 & an-



& antiquorum simile in Britannia factum est. Namque ad excitationem viuentium de morte animar, quidam aliquandiu mortuus ad vitam resurrexit corporis, & multa memorata digna, quæ viderat narrauit. E quibus hic aliqua breuiter perstringenda esse putauit. Erat autem paterfamilias in regione Nordan Humbrorum, quæ vocatur Incuningum, religiosam cum domo sua gerens vitam. Qui infirmitate corporis tactus, & hac crescente per dies ad extrema perductus primo tempore noctis defunctus est. Sed diluculo reuiuiscens, ac repente residens, omnes, qui corpori stantes assederant, timore immenso percussos in fugam conuertit, vxortantum, quæ eum amplius amabat (quamuis multum tremens & pauida) remansit. Quamille consolatus: Noli, inquit, timere, quia iam verè resurrexi à morte, qua tenebar, & apud homines sum iterum viuere permissus. Non tamen ea mihi, qua ante consueueram, conuersatione, sed multum dissimili ex hoc tempore viuendum est. Statimque surgens abiit ad villulæ oratorium, & vsque ad diem in oratione persistens, mox omnem quam possederat substantiam in tres diuisit portiones, è quibus vnâ coniugi, alteram filiis tradidit, tertiam sibi ipsi retentans, statim pauperibus distribuit. Nec multò post sæculi curis absolutus ad monasterium Mailros, quod Tuidi fluminis circum



flexu maxima ex parte clauditur, perue-  
 nit. Acceptaque tonsura, locum secretæ man-  
 sionis, quam præuiderat Abbas, intrauit, & ibi  
 usque ad diem mortis in tanta mentis & cor-  
 poris contritione durauit, ut multa illum, quæ  
 alios laterent, vel horrenda vel desideranda vi-  
 disse (etiãsi lingua sileret) vita loqueretur.  
 Narrabat enim hoc modo, quod viderat: Lu-  
 cidus, inquit, ad spectu, & clarus erat indumen-  
 to, qui me ducebat, incedebamus autem ta-  
 centes (ut videbatur mihi) contra ortum solis  
 solstitialem, cūque ambularem, deuenimus  
 ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis,  
 infinitæ autem longitudinis, quæ ad leuam  
 nobis sita vnum latus flammis feruētibus ni-  
 mium terribile, alterū furenti grandine ac fri-  
 gore niuium omnia perflante atque vertente,  
 non minus intolerabile præferebat. Vtrumque  
 autem erat animabus hominum plenum, quæ  
 vicissim hinc inde videbantur, quasi tempesta-  
 tis impetu iactari. Cū enim feruores immē-  
 sos tolerare non possent: proficiebant miseræ  
 in medium frigoris infesti. Et cū neque ibi  
 quippiam requiei inuenire valerent, resiliēbāt  
 rursus vrendæ in medium flammarum inex-  
 stinguibilium. Cūque hæc infelici vicissitu-  
 dine longè lateque, prout adspicere poterant,  
 sine vlla quietis intercedine, innumerabiliū  
 spirituum deformium multitudo torqueretur,  
 cogitare cepi, quod hic fortasse esset infernus,  
 de



de cuius tormentis intolerabilibus narrare se-  
pius audiui. Respondit cogitationi mea du-  
ctor, qui me præcedebat: Non hoc, inquit,  
suspiceris, nõ enim hic infernus est ille quem  
putas. At cum me hoc spectaculo tam horren-  
do perterritum paulatim in vltiora produ-  
ceret, vidi subito ante nos obscurari incipere  
loca, & tenebris omnia repleti. Quas cum in-  
trarem, in tantum paulisper condensate sunt,  
vt nihil præter ipsas adspicerẽ, excepta duntaxat  
specie & veste eius, qui me ducebat. Et  
cum progredieremur sola sub nocte per um-  
bras, ecce subito apparẽt ante nos crebri flam-  
marum terrarum globi, adscendentes quasi de  
puteo magno, rursũque decedentes in eun-  
dem. Quò cum perductus essem, repente du-  
ctor meus disparuit, ac me solum reliquit in  
medio tenebrarum, ac horrendæ visionis. At  
cum eidem globi ignium sine intermissione  
modò alta peterent, modò ima barathri repe-  
terent, cerno omnia que adscendebant fastigia  
flammarum plena esse spiritibus hominũ, qui  
instar fauillarum cum fumo adscendentium  
nunc ad sublimiora proijcerentur, nunc retra-  
ctis ignium vaporibus relaberẽtur in profun-  
dum. Sed & foetor incõparabilis cum eisdem  
vaporibus ebulliens, omnia illa tenebrarum  
loca replebat. Et cum diutius ibi pauidus con-  
sisterem, vtpote incertus quid agerem, quò  
veterem gressum, quãve mihi finis maneret,  
audio



audio subito post terga sonitum immanissimi  
fletus ac miserrimi, simul & cachinnum  
repirantem, quasi vulgi indocti capitis hosti-  
us insultantis. Ut aarem sonitus idem cla-  
rior redditus ad me vsque peruenit, confide-  
no turbam malignorum spirituum, quæ ani-  
mas hominum mœrentes ciulantesque, ipsa  
vero multum exultaas & cachinnans medias  
illas trahebat in tenebras. E quibus videlicet  
hominibus, vt dinoscere potui, quidam erat  
monachus, vt clericus, quidam laicus, quædam  
femina. Trahentes autem eos maligni spiri-  
tus descenderunt in medium barathi illius  
aduentis. Factumque est, vt cum longius sub-  
stantibus eis, fletum hominū & risum dæmo-  
norum clarè discernere nequirem, sonū ta-  
men adhuc promiscuum in auribus haberem.  
Intererea adscenderunt quidam spirituū obscu-  
rorum de abyfso illa flammivoma, & accurrē-  
tes circumdederunt me, atq; oculis flammam-  
ibus, & de ore ac naribus ignem putidum ef-  
fantes, angebant. Forcipibus quoque igneis,  
quos tenebant in manibus minitabantur me  
comprehendere, nec tamen me vllatenus con-  
tingere, tametsi terrere præsumebant. Qui  
cum vndique versum hostibus & cœcitate te-  
nebrarum conclusus huc illucque oculos cir-  
cumferrem, si fortè alicūdè quid auxiliij, quo  
saluaret, adueniret, apparuit retro viam qua  
ven-



veneram quasi fulgor stellæ micantis inter te-  
 nebras, qui paulatim crescens, & ad me oculus  
 festinans, vbi appropinquavit, dispersi sum &  
 aufugerunt omnes, qui me forcibus rape-  
 re quærebant spiritus infesti. Ille autem qui  
 adueniens eos fugauit, erat ipse qui me ante  
 ducebat. Qui mox conuersus ad dexterum  
 iter, quasi contra ortum Solis brumalem me  
 ducere cœpit. Nec mora exemptum tenebris  
 in auras me serenæ lucis educit. Cumque me  
 in luce aperta duceret, vidi ante nos murum  
 permaximum, cuius neque longitudini hinc  
 vel inde, neque altitudini vllus esse terminus  
 videretur. Cœpi autem mirari, quare ad mu-  
 rum accederemus, cum in eo nullam ianuam  
 vel fenestram, vel adscensum alicubi conspi-  
 cerem. Cum ergo peruenissemus ad murum,  
 statim nescio quo ordine fuimus in summi-  
 tate eius. Et ecce ibi erat campus latissimus  
 ac lætissimus, tantæque fragrantia vernantium  
 flosculorum plenus, vt omnem mox fœtorem  
 tenebrosi fornacis, qui me peruaserat, effuga-  
 ret admirandi huius suauitas odoris. Tanta autē  
 lux cuncta ea loca perfuderat, vt omni splen-  
 dore dici siue Solis meridiani radiis videretur  
 esse præclarior. Erantq; in hoc campo innume-  
 ra hominum albatorum contenticula, sedes-  
 que plurimę agminum lætantium. Cumque  
 inter choros felicium incolarum medios me  
 duceret, cogitare cœpi, quod hoc fortasse  
 esset



effect regnum caelorum, de quo praedicare saepius audiui. Respondit ille cogitari meo: Non, inquiens, hoc est regnum caelorum quod auumamas. Cumque procedentes transissemus, & has beatorum mansiones spirituum, adspicio ante nos multo maiorem luminis gratiam, quam prius, in qua etiam vocem cantantium dulcissimam audiui, & odoris fragrantia miri tanta de loco effundebatur, ut is quem antea degustans quasi maximum rebar, iam permotus mihi odor videretur. Sicut enim lux illa campi florentis eximia in comparatione eius, quae nunc apparuit lucis, tenuissima prorsus videbatur & parua. In cuius amoenitatem loci cum nos intraturos sperarem, repente ductor substitit, nec mora, gressum retorquens, ipsa me via, qua venimus, reduxit. Cumque reuersi perueniremus ad mansiones illas letas spirituum candidatorum, dixit mihi: Scis, quae sint ista omnia, quae vidisti? Respondi ego: Non. & ait: Vallis illa, quam adspexi flammis seruentibus, & frigoribus horrenda rigidis, iste est locus, in quo examinanda & castiganda sunt animae illorum, qui differentes confiteri & emendare scelera sua quae fecerunt, in ipso tamen mortis articulo ad poenitentiam confugiunt, & sic de corpore exeunt, qui tamen, quia confessionem & poenitentiam vel in morte habuerunt, omnes in die iudicii ad regnum caelorum perueniunt. Multos autem preces viventium &

P P elec



394 COLLATION. SACRAR.  
eleemosynæ & ieiunia, & maximè celebra-  
tio Missarum, vt etiam ante diem iudicij libe-  
rentur, adiuuant. Porro, puteus ille flammivou-  
mus ac putidus quem vidisti, ipsum est os ge-  
hennæ, in quo quicumque semel incidit,  
nunquam inde liberabitur in æuum. Locus  
verò ille florifer, in quo pulcherrimam hanc  
iuuentutem iucundari ac fulgure conspicis,  
ipse est, in quo recipiuntur animæ eorum, qui  
in bonis quidem operibus de corpore exeunt,  
non tamen sunt tantæ perfectionis, vt in re-  
gnum cælorum statim mercantur introduci:  
qui tamen omnes in die iudicij ad visionem  
Christi & gaudia regni cælestis intrabunt.  
Nam quicumque in omni verbo & opere &  
cogitatione perfecti sunt, mox de corpore e-  
gressi ad regnum cæleste perueniunt. Ad cuius  
vicinia pertinet locus ille, vbi sonum cantile-  
næ dulcis cum odore suauitatis ac splendore  
lucis audisti. Tu autem, quia nunc ad corpus  
reuertere, & rursus inter homines viuere debes,  
si actus tuos curiosius discutere, & mores ser-  
monesq; tuos in rectitudine ac simplicitate  
seruare studueris, accipies ipse post mortem  
locum mansionis inter hæc, quæ cernis agni-  
na lætabunda spirituum beatorum. Namque  
ego cum ad tempus abcessissem abs te, ad hoc  
feci, vt quid de te fieri deberet, agnoscerem.  
Hæc mihi cum dixisset, multū deestatus sum  
reuertere ad corpus, delectatus nimirum suauitatis





## LIBER VIII.

399

tate ac decore loci illius, quem intuebar, si-  
 mul & consortio eorum, quos in illo esse vi-  
 debam. Nec tamen ductorem meum aliquid  
 rogare audebam. Sed inter hæc nescio quo or-  
 dine repente inter homines me vivere cerno.  
 Hæc & alia, quæ viderat idem vir Domini, nõ  
 omnibus passim desidiosus ac vitæ suæ incu-  
 nosis referre volebat, sed illis solummodo, qui  
 vel tormentorum metu perterriti, vel spe gau-  
 diorum perennium delectati profectum pie-  
 tatis ex eius verbis haurire volebant. Denique  
 in vicinia cellæ illius habitabat quidam mo-  
 nachus nomine Genigils presbyteratus etiam  
 (quem bonis operibus adornabat) gradu præ-  
 eminens, qui adhuc superest, & in Hybernia  
 insula solitarius ultimam vitæ ætatem pane ci-  
 bario & frigida aqua sustentat. Hic sæpius ad  
 eundem virum ingrediens, audiuit ab eo re-  
 petita interrogatione, quæ & qualia essent,  
 quæ exutus corpore viderat. Per cuius relatio-  
 nem ad nostram quoque agnitionem perue-  
 nit, quæ de his pauca perstrinximus. Narra-  
 bat autem visiones suas etiam regi Alfrido, vi-  
 ro vndequaque doctissimo, & tam libenter,  
 tumque studiosè ab illo auditus est, ut eius ro-  
 gatu in monasterio supra memorato indutus  
 monastica sit tonsura coronatus, atque ad  
 eum audiendum sapissimè cum illas in partes  
 devenisset, accederet. Cui videlicet monaste-  
 rio tempore illo religiosæ ac modestæ vitæ Ab-  
 bas

P P 2

bas



## 896 COLLATION. SACRAR.

bas & presbyter Ediluualdus præerat, qui nunc  
 episcopalem Lindisfarnensis Ecclesiæ cathedram  
 condignis gradu actibus tenet. Accepit  
 autem in eodem monasterio locum mansionis  
 secretiorem, ubi liberius continuis in orationibus  
 famularui sui cōditoris vacaret. Et quoniam  
 locus ipse super ripam fluminis erat situs,  
 solebat hunc creber ob magnum castigandi  
 corporis affectū ingredi, ac sæpius in eo super  
 permeantibus vndis immergi, sicq; ibidē quā-  
 diu sustinere posse videbatur, psalmis vel pre-  
 cibus insistere, fixisq; manere, adscendente  
 aqua fluminis vsque ad lumbos, aliquando &  
 vsque ad collum, atque inde egrediens ad ter-  
 ram nunquam ipsa vestimenta vda vel algida  
 deponere curabat, donec ex suo corpore cale-  
 fierent & sicarentur. Cūque tempore hyemali  
 defluentibus circa eum semistractarum  
 crustis glaciū, quas & ipse aliquando con-  
 triuerat, quo haberet locum standi sue im-  
 mergendi se in fluuiū, dicerentq; qui vide-  
 bant: Mirum frater Drithelme (hoc enim erat  
 viro nomen) quod tantam frigoris asperita-  
 tem vlla ratione tolerare præuales. Responde-  
 bat ille simpliciter (erat nanque homo simplici-  
 cis ingenij ac moderatæ naturæ) Frigidiora e-  
 go vidi. Et cū dicerēt: Mirum, quod tam au-  
 steram tenere continentiam velis: Responde-  
 bat: Austeriora ego vidi. Sicque vsq; in idem  
 suæ vocationis infatigabili caelestium bono-  
 rum



rum desiderio corpus senile inter quotidiana  
ieiunia domabat, multisque & verbo & con-  
uersatione saluti fuit.

*Admirabilis historia de quodam fabro defuncto, ac  
vitæ restituito.*

## CAP. IX.

Circa annum Domini 1480. in ducatu &  
ciuitate Iuliacensi contigisse, multorum  
fidedignissimorum relatione cognouimus,  
fabrum nempe ferrarium, ex morbo defun-  
ctum, loculoque impositum. Apud cuius ca-  
dauer cum vicini in proximo conclaui, excu-  
bias ex more ageret, defunctus diuina dispen-  
satione vitæ restituitur. Qui exurgens fasciis  
& linteis funebribus obuolutus, ad excubito-  
res istos iam poculis somni vigilantimq; mo-  
lestiam discutientes progreditur. Quo viso  
terrui illi, fugam capessunt. Spectrum esse arbi-  
trantes. Faber verò rediuius, cum alloquio  
suo terrorem illorum paulatim leniisset,  
quod reliquum vitæ diuinitus accepit, longè  
diuersa, quam prius, ratione transegit. Siqui-  
dem nunquam ridere aut vanis sæculoque v-  
sitatis oblectamentis vacare visus est. Cum ad  
matutinas preces iuge sacrificium, aut ad ve-  
speras campanarum sonus ederetur, ille proti-  
nus malleo & incude relicta, ad Ecclesiam fe-  
stinabat, nulla Ecclesiasticarum precum tem-  
pora prætermittens, ut quæ, & qualia in altero  
sæculo vidisset, etsi ipse taceret, vel sola vita



conuersatio loqueretur. Historiam esse & nō  
 fabulam, inter alios retulit ipsius ciuitatis lu-  
 liacensis quondam secretarij filius Guilhel-  
 mus, vir doctrina & vitæ integritate commē-  
 datiss. Confirmauit eandē matrona quædam  
 honestissima ex consilio ciuitatis eiusdem o-  
 riunda, quæ aiebat auum suum hunc fabrum  
 rediuiuum nouisse. Certè Origenes in cap. 2.  
 Numer. (Hom. 2.) (vbi de ordine populi Dei  
 Moses disserit.) Si vnusquisq; inquit, nostrum  
 de cibo & potu sollicitus sit, & omnem curam  
 in rebus secularib' gerat, vnā verò aut duas  
 horas ex integro die etiam Deo deputer, & ad  
 orationem veniat in Ecclesiam, vel in transitu  
 verbum Dei audiat, præcipuam verò curam  
 erga sollicitudinem sæculi & ventris expe-  
 dat: iste non complet mandatum quod dicit,  
 vt homo secundum ordinem suum incedat,  
 vel quod dicit, vt omnia secundum ordinem  
 fiant. (1. Cor. 14.) Putauit doctissimus ille scho-  
 læ Alexandrinæ catechista Origenes, admodū  
 vicinus Apostolico sæculo, (quo Christiani  
 erant perseuerantes in communicatione fra-  
 ctionis panis & orationibus, & perdurantes  
 vnanimiter in templo) (Act. 2.) laicos suo  
 nō facere officio satis (de his enim istic loqui-  
 tur) si quotidie vnā, vel etiam duas tantum  
 horas precibus & sacris audiendis darent. Por-  
 rō de Anna vidua refert Lucas, (cap. 2.) quod  
 non discedebat de templo, ieiuniis & oblecta-  
 tionibus



tionibus seruiens nocte ac die. De hoc utique spiritu hausisse, videtur faber iste rediuius, quando nec risisse, nec statuta orationum Ecclesiasticarum tempora vnquam pretermittente visus est. Sicut autem Drithelmus ille, de quo in precedenti capite, multis & verbo & conuersatione saluti fuit, & Rex Alfridus vir vnde quaque doctissimus, vt Beda ait, eundem Drithelmum & libenter & studiosè audiuit, atque ad eum audiendum sapissimè accessit, ita profectò optandum esset, & hæc nouissima vltimorum temporum exempla (quæ benignissima Dei dispensatione ad animos nostros presentimur reum contemptu, & futurorum desiderio inflammandos, nobis exhibentur) quam plurimis esse salutifera, vt veteribus finem imponant vitiis, nouamque dent nouis originem virtutibus.

*De alio quodam iudem defuncto & resuscitato.*

C A P. X.

Non dissimile est, quod nostra memoria contigit in Zelandia, in ciuitate nuncupata **Tholen** / vbi coctor quidam ceruicarius, cum defunctus esset, iamque loculus, in quo positus erat, penè esset oclusus, renouiscere cœpit defunctus, & in loculo conclusus, sonitum edere. Vxor fortè tum non erat in conclau, in quo funus constitutum erat: pueri itaque sonitum audientes, matrem appellant, patrem in loculo pulsare clamitant.

Pp 4 Mater



Mater pueriles animos errore decipi existimans, aliquandiu renuit prodire. Illis vero in clamore perseverantibus, accessit tandem mater, audiensque sonitum, aperit loculum. Et ecce qui defunctus erat, rediuius prociit: Interrogatus autem ubi fuisset, aut quid vidisset, hoc solum respondit: Si dixerō vobis, non credetis. Sed nec ille vllis postea sustinuit sese dedere popularibus oblectamentis. Narrauit nobis hanc historiam vir a tate, doctrina & pietate venerandus, qui que fratrem huius rediuiui ipse adolescentulus vidit. De S. Lazaro Episcopo Massiliensi & martyre, quem Christus Dominus quatríduanum in monumento suscitauit, legimus apud Hieronymum de Villa, (in Orationali 17. Decemb.) sanctissimam illum duxisse vitam miræque fuisse abstinentia. Similia de Maria & Martha sororibus Lazari legimus, (Ioan. 11.) & Paulus Apostolus cum in tertium cælum raptus, admiranda vidisset, nõ vtrique popularem viuendi rationem sectatus est, sed castigauit corpus suum, & in seruitutē redēgit, ne cum aliis prædicaret, ipse reprobis efficeretur. Cor Sapientum ubi tristitia est, inquit Sapiens, (Eccles. 7.) & cor stultorum ubi lætitia. Risum reputaui errorem, inquit idem alibi, (Eccles. 2) & gaudio dixi: Quid frustra deciperis? Christus Dominus seuisse sapius legitur, risisse nunquam. Non eò hæc referenda sunt, quod damnandas existimemus omnes



nes honestas animorum oblectationes : nam & sanctissimi viri quandoque animum honeste relaxasse leguntur, & de D. Ioanne Evangelista quidam commemorant, quod cum à quodam reprehenderetur quod senex auicula sese oblectaret, responderit illi, vt arcum quem manu tenebat intenderet, tensumque diutius teneret. Quem cum ille tandem remittendum diceret ne rumpereetur, regressus dicitur Apostolus : Ineptè igitur, inquit, offenderis, quod nos animum curis grauioribus fatigarum, qualicumque modo relaxamus. Sed animaduertendum, quod de eodem Apostolo refert Metaphrastes, (*in vita S. Ioan. Apostol. habetur in tom. Suriij 17. Decemb*) quod omnes sensus suos diligentissimè moderabatur, tali vtens alimenti ratione, vt summa parsimonia viuere duntaxat posset, sacrumque corpus vt subsisteret, conseruare. Sic igitur relaxandus animus, ne per animi relaxationem offendantur Deus: sic indulgendum corpori, ne corporis indulgentia flaccescat spiritus. Si placet illud Salomonis (*Ecc. 11.*) Lætare iuuenis in adolescentia tua, & in bono sit cor tuum in diebus iuuentutis tuæ, & ambula in viis cordis tui, & in intuitu oculorum tuorum: attendatur & illud quod subiungitur. Et scito, inquit, quod pro omnibus his adducet te Deus in iudicium. Gaudendum quidem in Domino semper, vt ait Apostolus, (*Philip. 4.*) sed ita, vt mode.



902 COLLATION. SACRAR.  
stia nostra nota sit omnibus hominibus: Do-  
minus enim propè est. Et idem alibi, (1. Cor. 7.)  
Hoc dico fratres, tempus breue est, reliquum  
est, vt qui habent vxores, tanquam nō habentes  
sint; & qui flent tanquam nō flentes; & qui  
gaudent tanquā non gaudentes; & qui enunt  
tanquam non possidentes; & qui vtuntur hoc  
mundo, tanquam non vtantur: praeterit enim  
figura huius mundi. Dormierunt somnū suū,  
inquit Psalmista, (Psal. 75.) & nihil inuenerūt  
omnes viri diuitiarū in manibus suis. Ab in-  
crepatione tua Deus Iacob dormitauerūt, qui  
adscenderunt equos Indicabo tibi o homo, ait  
Micheas, (cap. 6.) quid sit bonum, & quid Do-  
minus requirat à te: Vtique facere iudicium,  
& diligere misericordiam, & sollicitum ambu-  
lare cum Deo tuo. Et S. Bonauentura, Tantus  
inquit, debet esse in hac mortali vita amor,  
tantum orandi studium, ac desiderium perue-  
niendi ad hoc, quod factus es; & dolor, quia ibi  
non es; & timor, ne non peruenias, vt nullam  
laetitiam sentire debeas, nisi de his, quae tibi  
auxilium & spem dant perueniendi.  
*Ado Viennensis Archiepiscopus in Chronico suo etia-  
se sexta, anno Domini 696. De Ebroino tyranno  
post mortem à daemonibus ad ollam Vulcaniam de-  
lato.*

CAP. XI.

**T**emporibus Leonis Imperatoris & Ser-  
gij Pontificis, quidam Ebroinus à Fran-  
cis



cis in eam dignitatem assumptus est, vt maior  
 esset in aula regia Quem postea dignitate ead-  
 em exutu monasterio Luxouienſi addicunt.  
 Porro Ebroinus magnæ impietatis homo cle-  
 ricaturam abiiciens, à Luxouio cœnobio e-  
 gressus, mox copiis vndecunque sibi aggrega-  
 tis, principatum vi sub Theodorico rege obti-  
 nens, in multos episcopos, viros deinde illu-  
 stres, & diuersæ conditionis homines crudeli-  
 ter sæuit, ablatis facultatibus complures ex il-  
 lis contra datam fidem interficiens. Hic ita-  
 que Ebroinus crudelitate nimia seuis ab Her-  
 menfrido Franco interfectus est. Erat tunc  
 temporis vir oculis cœcatus vnus ex illis, qui-  
 bus Ebroinus effoderat lumina, in insula Lu-  
 gduensis prouinciæ, quæ Barbara dicitur.  
 Qui cum nocturno tempore super ripam Si-  
 cannæ fluminis orandi gratia resideret, audi-  
 uit nauigantium impetum, & magna vi bra-  
 chiorum contra impetum fluminis insurgen-  
 tium. Cumque interrogarent, quo nauigium  
 illud tenderet, vox in auribus eius percrebuit:  
 Ebroinus est, quem ad Vulcaniam ollam de-  
 ferimus, ibi enim facti sui pœnas luet. Hoc  
 idem vir audiuit ad consolationem sui, vt sci-  
 ret quam pœnam persecutores istorum sen-  
 tirent.

*D. Gregorius Magnus libr. 4. Dialogor. cap. 30. De  
 Theodorico rege Ariano post mortem ad insulam  
 Liparim in ollam Vulcaniam delato.*



**I**ulianus huius Romanæ Ecclesiæ, cui Deo  
 auctore deseruio, secundus defensor, qui  
 ante septem ferme annos defunctus est, ad me  
 adhuc in monasterio positum crebro venie-  
 bat, & mecum colloqui de animæ utilitate con-  
 fuerat. Hic itaque mihi quadam die narra-  
 uit, dicens: Theodorici regis temporibus, pa-  
 ter socii mei in Sicilia exactionem canonis e-  
 gerat, atque iam ad Italiam redibat. Cuius na-  
 uis appulsa est ad insulam, quæ Liparis appella-  
 tur. Et quia illic vir quidam solitarius magnæ  
 virtutis habitabat, dum nauta nauis armenta  
 repararent, visum est prædicto patri socii mei  
 ad eundem virum Dei pergere, sequæ eius o-  
 rationibus commendare. Quos vir Domini  
 cum vidisset, eis inter alia colloquens dixit:  
 Scitis quia Rex Theodoricus mortuus est? Cui  
 illi protinus responderunt: Absit, nos cum  
 viuentem dimissimus, & nihil tale ad nos de  
 eo nunc usque perlatum est. Quibus Dei fa-  
 mulus addidit, dicens: Eriam mortuus est:  
 Nam hesternò die hora nona inter Ioannem  
 Papam & Symmachum Patricium discinctus,  
 atque discalceatus, & victis manibus dedu-  
 ctus, in hanc vicinam Vulcani ollam iactatus  
 est. Quod illi audientes sollicitè conscripse-  
 runt diem, atque in Italiam reuersi, eo die Theo-  
 doricum regem inuenerunt fuisse mortuum,  
 quo de eius exitu atque supplicio Dei famulo  
 fuerat



fuerat ostensum. Et qua Iannem Papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoque Patricium ferro trucidauit, ab illis iuste in ignem missus apparuit, quos in hac vita iniuste iudicauit.

*De VValtero de Mere, qui vidit Archiepiscopum N. de ferri ad montem Heclam, cuius visionis occasione ipse postmodum religiosissimam duxit vitam.*

## CAP. XIII.

**V**Valterus de Mere vir nobilis, satelles Caroli V. Imper. cum aliquando nauigaret ad partes Boreales Islandiam versus secundo vento, vidit nauim ex aduerso ferri, itidem secundo vento, atq; in puppi illius quoddam monstrum instar hominis nigerrimi, tanquam nauarcham constitutum. Cumq; nauta huius VValteri pro more acclamaret, quid mercium ueherent, & quorsum tenderent, respondit dæmon alterius nauis detector, Nos uehimus Archiepiscopum N. nominando ciuitatem, in qua fuerat Archiepiscopus, & tendimus ad montem Heclam. Quo audito VValterus iste totus contremuit, & vitæ suæ rationes subducere incipiens, cum primum Leidam Hollandiæ reuersus est, amplexus est institutum D. Francisci, ibidem sub patre VWilhelmo Delphensi professus, (qui hæc domi meæ in plena mensa multis honestissimis uiris assistentibus exactè narrauit) & postmodum Dordraci sepultus est.



Laurentius Surius in *Chronico* sub annum 1537. adducens Trogum lib. 4. & Strabonem. De Aethna montis & Hecla terribilibus incendiis.

## CAP. XIV.

**A**Nno 1537. mense Aprili Aethna mons Siciliae, materia plenus sulphurea, quam humida gignunt nutrimenta, ingentē ignis massam euomit, quae non repentino, sed passim decidens, colles, nemora, saxa rupes, pagosque duos, (nam multos ille mōs agros complectitur,) flammis vastauit. Eius montis ignis sulphureus, interdū obscurum & subnigrum, noctibus verò prorsus horrendum se spectantibus ostendit. Feruntur in summo vertice mirabiles esse mutationes, interdum erumpente ingenti flumine, aliquando vel flāma, vel obscuro fumo. Id verò summam habet admirationem, quod illius ignis calor, neque frigus depellere, neque vlllo frigore temperari potest. Verisimile est, quicquid dicunt Philosophi, iis in locis quaedam esse Tartari ostia, aut loca puniendis animabus destinata: quemadmodum etiam in Islandia insula, quae in Occano sita, aestiuo solstitio noctem nullam, brumali nullum diem habet, mons est, Occidentem versus, Hecla dictus, à quo non longè ab-sunt fodinae sulphuris, quod inde copiosissime plenis manibus euahitur. Mons ille cum furit, haud secus atque horrenda tonitrua insonat, projicit ingentia saxa, sulphur euomit, cineribus



bus egestis terram circum circa tam longè operit, ut ad vicesimum lapidem vel milliare colli non possit. Sunt ibi multæ voragine, ita cineribus operte, ut vix cuitari possint ab illis, qui ut eius incendij naturam explorent, propius montem accedunt, è quibus plerique viui à voraginibus absorbentur. Emergit illic ignis quidam, qui aquam absument, stupam non absument. Visuntur illic mortuorum spiritus, qui in nova specie offerunt se familiaribus colloquiis hominum, idque adeò, ut adhuc viuere putentur ab illis qui eos nesciunt, vel submersione, vel alia violenta morte periisse. (Nam tales præcipuè apparent) cum autem orant eos amici, vel voti, ut domum redeant, dicunt cum ingenti gemitu, se petere montem Heclam, illicoque disparent. Voluit autem omnipotens Deus, eiusmodi in terris exstare loca terribilia, ut certius notint mortales, quæ poena maneat impiis post hanc vitam, & sic discant timere Deum, ut possint æternos ignes euadere.

*Petrus de Palude in Thesaurò homiliarum, & Ioannes Nauclerus Chronograph. volum. 3. generat. 43. Petrus Canisius libr. 5. cap. 20. operis Mariani, Fulgosius. libr. 9. cap. 12. Conrad. Lycost. lib. 12. Theatri, & quidam alij, de Vdone Archiepiscopo Magdeburgensi, qui patrocinante D. Virgine Maria, obtinens scientiæ donum & Archiepiscopatû, moniti quæ D. Virginis resistens, & in Archiepiscopatu flagitiosè vniuers, seuerè puniunt.*

CAP.



**A**Nno Domini nongentesimo, quadragésimo, apud Parthenopolim, id est, Magdeburg in Saxonia, contigit factum terribile nimis, inauditum à seculis. Quod factum sic stylo veraci referā, vt omnibus innotescat, quantum malum sit in statu prelationis turpiter viuere, & patrimonium Christi, res scilicet Ecclesie, iniuste distrahere, & scandalorum factoribus subditos corrumpere, & moniales Deo dicatas ausu temerario violare. In prædicta igitur vrbe erat scholaris quidā nomine Vdo, qui liberalibus studiis insudabat, qui cum esset inertis ingenij, & nihil omninò proficere poterat, quantumcunque etiā magistri verberibus torquebatur. Quadam vice post enormes plagas scholas exiens, Ecclesiam maiorem ad honorem sancti Mauricij & sociorum eius magnificè fabricatam introiuit, ibique cum ingenti deuotione se prosternens, & Reginae celi clementiam, & beati Mauricij patrocinium pro illuminatione ingenij sui implorauit. Ac sic in precibus positus obdormiuit. Cui protinus mater misericordie apparens, dixit: Audiui orationem tuam, & vidi afflictionem tuam. Et ecce non solum scientie munus tibi tribuo, immò etiam post mortem Archiepiscopi, qui nunc præest, Ecclesiam principis mei Mauricij tuæ fidelitati commendo, quam si benè rexeris, præmium magnum consequeris



ris: & si malè, in anima & corpore morieris.  
His dictis Virgo disparuit, & iuuenis scholas  
more solito repetiuit. Cùmque ad loquen-  
dum aperuisset os, coepit omnes disputando  
concludere, & in omni scientia peritissimus  
apparere. Stupebant autem omnes, qui eum  
audiebant, dicentes: Vnde huic tanta est inspi-  
rata scientia? Nonne iste Vdo, qui heri maeta-  
batur vt bestia, & ecce hodie probatur Philo-  
sophus? Post biennium Archiepiscopus Mag-  
deburg moritur, & Vdo à cunctis electus Ar-  
chiepiscopus efficitur. Confirmatus ergo &  
pallio decoratus aliquantulum diu benè vixit.  
Et, quia honores mutant mores, coepit procef-  
su temporis consilium matris Dei negligere,  
& propriae salutis immemor esse, & voluptati-  
bus deservire: Et dilapidare Ecclesiae faculta-  
tes, & nō solum saeculares foeminas, sed etiam  
velatas violare. Insuper, quod deterius est, ad  
omnium flagitiorum genera habenas laxare.  
Sicque facta est eius vita omnibus odiosa, o-  
mnibus detestanda. Pròh pudor, cùm multis  
annorū curriculum memoratus Episcopus aë-  
rem, mundumque totum suis sceleribus cor-  
rupisset, & quadam nocte quādā nigrarum  
monialium Abbatissam de regali coenobio,  
quod tunc Osti rholtz, nunc verò Vallis lilio-  
rum dicitur, Cisterciens. secum in lecto habe-  
ret, audiuit vocem in hæc verba terribiliter in-  
tonantem; Fac finem ludo, quia lusisti satis  
Vdo.



## 916 COLLATION. SACRAR.

Vdo. His dictis multum cachinnans, scititium  
 suspicabatur Et mane facto rursus deliciis in-  
 uoluitur, factusque durus quasi lapis ad pro-  
 digiosę vocis comminationem minimę com-  
 pungitur. Sequenti etiam nocte vocem simi-  
 lem audiens, sed parui pendens stultus ille, vt  
 antea in sua malitia perdurat. Noctę igitur  
 tertię apud Abbatissam præfatam cubas, cum  
 nephādum opus libidinosa commotionis ex-  
 creuisset, vox sæpę dicta cum ingenti fragore  
 intonuit, dicens: Fac finem ludo, quia lussisti  
 satis vdo. Hac ergo voce tertię audita, stupe-  
 factus aliquantulum ingemuit, sed non res-  
 puit, veruntamen iam damnationi proximus  
 miser ille, coruinum quidem sæpę cecinit, sed  
 nequaquam ad pœnitentię lauacrum prop-  
 rauit. Mira dicturus sum, vera tamen, quę si  
 Saxones, apud quos gesta sunt, reticere vel-  
 lent, lapides clamarent, sicut sequentiã mani-  
 festant. Post menses igitur tres canonicus qui-  
 dam Ecclesię Magdeburgensis, Fridericus no-  
 mine, vir etiam multum venerabilis, & ma-  
 gnę sanctitatis, quadam nocte in choro sancti  
 Mauricij existens, & orationi feruentius in-  
 stans, Deũ pro sancta vniuersali Ecclesiã præ-  
 cabatur, maximę & attentę pro sua, scilicet  
 Metropolitana, & vt cõditor omnium, iustus  
 iudex citius morbidum caput, Vdonem scilicet  
 Episcopum, per interitum de medio, aut  
 cesset in melius commutaret: verba pondus  
 habue-





habuerunt. Et ecce secuta est protinus visio  
nimis horribilis, & cunctis mortalibus me-  
tuenda, maximè tamen rectoribus Ecclesiæ,  
qui gregem Dominicum commissum præce-  
dunt, & malis exemplis inficientes præcipitât  
sæpius in infernum. Vidit ergo, & ecce ven-  
tus validus omnes Ecclesiæ lampades pariter  
extinxit: quapropter timore nimio correptus,  
loco adhesit, steterunt comæ, vox est faucibus  
interclusa. Tunc venerunt duo iuvenes, duos  
cereos gestantes, & ad altare porcedetes, hinc  
inde iuxta cornua confiterunt, ac totam il-  
lam aulam lumine replent. Post quos ingressi  
sunt alij duo, quorum vnus tapecia aure alta-  
re decenter stravit: alter verò duas aureas ca-  
thedras collocavit. Post istos alter quidam so-  
lus venit pugil, strenuus incedebat euagina-  
tum tenens gladium, & stans in loco Ecclesiæ  
valenter clamabat: Omnes sancti, quorum re-  
liquiæ hic habentur, Surgite, & venite ad iu-  
diciû Dei. His dictis apparuit maxima, & præ-  
fulgida multitudo vtriusque sexus. Alii mili-  
tari habitu adornati, alij pontificalibus infulis  
insigniti, & hi omnes chorum intrauerunt.  
Tunc etiam apparuerunt duodecim viri reli-  
giosi, in quorû medio gradiebatur Sole splen-  
didior, regio diademate & sceptro adornatus.  
Apostoli verò erant, & Dominus Iesus Chri-  
stus cæli & terra Rex, quem mox vt omnes  
viderant, deuotissimè adorauerunt, & supra  
cathe-



cathedram sedere fecerunt. Adfuit præterea Regina caelorum Luna & stellis clarior, quam clarissima turba virginum sequebatur. sancti verò omnes Dei matrem venerantes geniculanter susceperunt. Cui Christus mox occurrens, & manum eius apprehendens iuxta venerabiliter collocavit. Et ecce postremò apparuit sanctus Mauricius dux gloriosus cum sua legione sex millibus, sexcentis, sexaginta sex, qui se vnanimiter prosternentes adoraverunt, dicentes: AEquissime iudex, & conditor seculorum, da iudicium: his dictis surgentes steterunt reuerenter præstolantes. Quibus Dominus dixit: Scio quid queritis: & adiecit, Vdonem Episcopum. Continuo quidam de adstantibus abierunt, & miserimum Vdonem de latere Abbatissæ trahentes miserabiliter adduxerunt. Quem sanctus Mauricius seuerius intuens, dixit: Domine mi, iudica. Ecce iste Vdo non episcopus, sed lupus; non pastor, sed raptor, necator, & deuorator gregis tui. Iste etiam est, cui Domina nostra mater tua scientiam donauit. Cui hanc Ecclesiam ad honorem nominis tui, sanctorumque tuorum commendauit, prædicens ei si bene reget, vitam perennem haberet: sin autem male, morte in corpore & anima moreretur. Iste insuper est, qui semel admonitus ac iterum ac tertio se corrigere noluit. Et non solum hanc Ecclesiam, sed etiam se, & omnia sibi commissa propheta-



phanando ad nihilum redegit, imò sponfas  
tuas semper & vbiq̃ue turpiter & temerè vio-  
lauit. His auditis Dominus præsidens iudicio,  
sancto que respiciens, dixit: Quid vobis videtur  
de isto? Pugil autem supradictus voce magna  
clamauit, dicens: Reus est mortis. Iudex verò  
& omnes sancti qui aderant, in hanc senten-  
tiam conuenerunt, & quale genus mortis ille  
impius deberet sustinere, tractauerunt. Tunc  
iudex ait: Caput meruit amittere, qui sine ca-  
pite tempus consumendo sordibus cõputruit.  
Quo dicto pugil confestim Vdoni præcepit,  
vt ceruicem tenderet. Quod cum Vdo fecis-  
set, & pugil gladium ad ictum eleuasset, qui-  
dam ex eis clamauit, dicens: Contine manum  
tuam, donec ab eo reliquiæ auferantur. Tunc  
quidam cum calice adfuit coram Vdone stās,  
donec pugil miserimi hominis collum cum  
pugno valido percussisset. Et ecce post quem-  
libet ictum & pulsum hostia polluta per os e-  
piscopi exiēs, in calicem corruit. Quas omnes  
ille reuerenter suscipiens diligentissimè lauit,  
& super altare in calicem ponens cum sua tur-  
ba decenter inclinauit, abiit, & recessit. Post  
hoc miserabilem Vdonem pugil sapredictus  
aggrediens decollauit. Sicque tota illa con-  
gregatio sanctorum disparuit. Canonicus au-  
tem supradictus Iustus, qui hoc vidit non in  
somnia, sed apertis oculis, stupens & tremēs, &  
lumen in crypta reperiens, omnes Ecclesiæ lā-  
pades



pades pariter reaccendit. Cumq; adhuc de fa-  
 cto dubius & anxius secū miraretur, tandē re-  
 assumpta audacia ad locum iudicij paululum  
 processit, vidit calicem cum hostiis in altari, &  
 caput à trunco longius proiectum, nec nō pa-  
 uimentum sanguine madefactum. Cumque,  
 quantū poterat exclamaret & diceret. O triste  
 spectaculum, ô grande miraculum, ô tremen-  
 dum iudicium, ô quàm horrendū est incidere  
 in manus Dei uiuentis. Nam quos diu vt con-  
 uertantur tolerat, non conuersos durius dam-  
 nat. Post hoc omnes Ecclesiæ ianuas obser-  
 uuit, & nullum omninō ingredi permittēs, do-  
 nec Sole iā orto omnes potiores vr̄e clericos  
 & laicos conuocat. Tunc ianuis referatis seue-  
 rissimam Dei ultionem Vdonē videlicet Epi-  
 scopum in suo sanguine tabefactum omnibus  
 ostendit. Et tunc, quæ audierat & viderat per  
 ordinem enarrauit. Eadem verò die quidā ex  
 capellanis suis nomine Bruno, cū legationē  
 sibi cōmissam peregisset, Parthenopolim con-  
 tinuō famulis lōgē ante præcedēibus studuit  
 remeare. Interim graui oppressus somno, ar-  
 borem quandā umbrosam videns de equo de-  
 scendit, & frenum fortiter ad brachium ligans  
 paululum requieuit. Et ecce ingēs globus spi-  
 rituum immundorum cum turbis & tympa-  
 nis, cum gladiis & sustibus, cum lanceis & se-  
 curibus ad eundem locum gradu concito pro-  
 perabant. Cumque omnes conuēnissent, vni  
 ca



ex eis qui princeps videbatur, quia erat statu-  
ra procerior, & vultu terribilior, solium con-  
stituentes desuperposuerunt sine mora, Alter  
clamans & cachinnans, & tripudians eminus  
apparuit, de quo quidam velocius Aquilis  
caeli præcesserunt & fortiter clamauerunt: Date  
locum, date locum, ecce princeps Vdo noster  
charissimus appropinquat. His dictis satellites  
sathanæ miscram Vdonis animam in effigie  
corporali catena ignea à collo constrictam ad  
summum principem peruexerunt. Cui sathan  
protinus assurrexit, saluans eum verbis paci-  
ficis in dolo: Benè, inquit, venisti, ô princeps  
& fautor & dilator regni nostri. Ecce parati  
sumus tibi & omnibus nostris fidelibus, pro  
meritis vestris reddere talionē. Cumque Vdo  
obmutesceret, sathan assistentibus ait: Fatiga-  
tus est ille noster dilectus huc veniēdo: & ideo  
placet vt confoletur: date ergo ei manducare.  
Illo autem renuente, & caput auertente, cru-  
deles ministri eius bufones, & serpentes vio-  
lenter impresserunt, & liquorem sulphureum  
postmodum infuderunt. Adhuc illo non lo-  
quente, sathan præcepit dicens; Ad balneum  
deducatur, & post horam ilicò reducatur. Et  
ecce non procul erat puteus cooperulum ha-  
bens. Quo ablato flamma vorax vsque ad cæ-  
lum erumpebat, quæ non solum arbores &  
montes & lapides, immò etiam aquam iuxta  
manātem velut stipulam consumebat. In quæ  
infeli-



infelicem illam Vdonis animam præcipra-  
uerunt, & postmodum extrahentes in modum  
ferri candentis totam igneam suo principi de-  
tulerunt. Qui subridens; Nónne, inquit, bal-  
neum suaue habuisti ó princeps? Tunc Vdo  
damnatum se omnino videns, cœpit blasphemare,  
& dicere; Maledictus satan tu, & omnis  
familia tua, & omne imperiũ tuũ. Maledictus  
Deus, qui me creauit, maledicta terra, quæ me  
portauit, maledicti parentes, qui me genuerũt,  
& maledicta omnis creatura tua in celo & in  
terra. Tunc omnes dæmones vnà cum principi  
suo cœperunt manibus plaudere, & diceret  
Verè dignus est iste manere nobiscum, quia  
peroptimè scit officium nostrum. Miratur  
igitur nunc ad principalem scholam damnatorum,  
vt videat, audiat, sentiat, & discat amplius  
indeque non exeat in sæcula sæculorum.  
Vix verba finierat, & ecce vnanimiter in odiosam  
illam creaturam irruerunt, eamque impetuose  
in tartareum illud barathrum iactando immerse-  
runt, ac si cælum & terra & omnes montes  
mundi huius ad inuicem quaterentur. Capellanus  
autem prædictus hæc omnia in somnis videns  
& audiens, timuit vehementer. Tunc princeps  
tenebrarum eum ostendens, dixit: Videte ne fugiat  
clericus ille, qui nos adspicit, quia semper adstitit  
malorum suorum cooperatore, consensu & defensor:  
ergo sicut fuit fautor culpæ; sic sit particeps &  
via-



vindictę. Ideoque ad illum puteum ad Dominum suum demergatur. Quo dicto, cum demones eum rapere vellent, & ipse effugere conaretur, repente à somno exsiliens euigilauit, sicque equus territus tam diu hinc inde saliebat & cursitabat miserum trahens hominem, donec à sua iunctura eius brachiū penitus soluebatur, difficulter tamen equum adscendēs, Parthenopolim venit, & mox vt dominum suum mortuum esse cognouit, visionē visioni, terrorem terrori, prodigium prodigio cumulauit, & omnia quę in via sibi acciderant, quęque viderat & audierat, patefecit, ostendēs à sua compage brachium auulsum, & repentiam caniciem in argumentum veritatis. Cives igitur videntes & audientes hoc horribile & insolitum Dei iudicium, vehementer timuerunt. Et cadauer ignobile procul ab vrbe in paludem iactauerunt. Quod bestię infernales cum plausibus & canticis, id est, cantibus laudis protius exceperunt, & huc illucque trahendo morsibus discerpsērunt, & ruricolas iuxta habitantes variis terroribus multoties affecerunt. Tandem consilio inito glebam illam maledictam de palude extrahentes combusserunt, & pulueres & cineres in Alibim proiecerunt. Mira res, tunc omnes, vt fertur, pisces suum gurgitem relinquentes, octanum adierunt, donec litanis & ieiuniis placato iam Domino, post decennium vix tantum



dem redierunt. Huius horrendi prodigij memoria iugiter præ oculis super pavementum marmoreum candidum & politum in decollatione Vdonis cruor est, qui tam indelibiliter adhæret pavimento, vt de essentia marmoris esse quodammodo videatur: super locum illum, vbi decollatio facta est, semper rapetia iacent. Et super electos Episcopos Te Deum laudamus canitur: & iuxta morem collocantur, ibi ad orationem prosternendo, vt videntes sibi caueant, ne fortè pereant sicut ille. A Domino verè factum est istud ad terrorem Episcoporum illius Ecclesiæ, & omnium inuitium prælatorū, vt audientes contremiscant læsæ maiestatis terribile iudicium & seuerissimam vltionem.

*Eusebii lib. 17. rerum Roman. & Ioann. Zonaras tom. 3. Annalium in Mauricio. Niceph. Callist. li. 18. cap. 40. histor. Ecclesiast. De admirabili visione Imp. Mauricij, qui ob excessus suos rogauit Deum, vt hic potius quàm in futuro reciperet, de que eius supplicijs.*

## CAP. XVI.

**M**Auricius Imperat. cum variis excessibus Deum graniter offendisset, vir quidam monachico habitu circumamicus, & in religione clarus, spata denudata à foro vsque ad anquam gladiatoris statuam discurrens Imperatorem omnibus in occasione gladij morturum prædixit. Similiter & Herodianus Mauri-



## LIBER VIII.

99

Mauricio manifestè, quæ sibi fuerant ventura, prædixit. Imperatore verò noctu discalceato litaniam cum tota vrbe agente, & transeunte ad Carpiana loca, tumultuantes quidam ex multitudine contra Imperatorem lapidibus iaciunt, ita vt vix Imperator cum Theodosio suo saluaretur, & orationes compleret apud Blacernas. Anno verò imperij sui vicesimo, Mauricius in se reuersus, & sciens quod nihil Deum lateat, sed omnibus reddat secundum opera ipsorum, & recogitans excessum, quem in captiuitate perpetrauerat, non redimendam, expedire iudicauit in hac vita se recipere pro peccato, & non in futura: & factas preces in scriptis transmisit ad omnes patriarchales sedes, & ad omnes ciuitates sibi subiectas, & ad monasteria quæ sunt in eremo, & in Hierosolymis: & ad lauras pecunias, & cereos, & incensa: vt orarent pro se quod hic reciperet, & non in futuro sæculo. Scandalizabatur autem, & in Philippicum generum suum, quod in philiteram nominaretur. Porro Philippicus diuersè iurabat imperatori, quod purus esset in seruitio eius, & apud se nullum dolum haberet. Cumque Mauricius supplicaret DEO misericordiam præstandi animæ suæ, quadam nocte dormiens in visu, ante æneam palatij portam imagini saluatoris se vidit assistere, & copiosum populum pariter assistentem. Tunc facta est vox ex caractere magni Dei, & Saluatoris

Qq 2

uatoris



920 COLLATION. SACRAR.  
uatoris nostri Iesu Christi, dicens: Date Mauri-  
cium. Et tenentes eum iudiciorum ministri,  
exhibuerunt ante purpureum vmbilicum, qui  
illic erat, & ait ad eum propria voce: Vbi vis,  
reddam tibi, hic, an in futuro sæculo: Quo au-  
dito, ille respondit; Amator hominum Domi-  
ne & iudex iuste, hic potius, & non in sæculo.  
Et iussit diuina vox tradi Mauricum, & Con-  
stantiam vxorem eius, & omnem cognatio-  
nem domus ipsius, Phocæ militi. Expergesa-  
ctus ergo Mauricus, vocatum eum qui cor-  
ram se dormiebat, misit ad Philippicum ge-  
nerum suum, vt celeriter eum duceret ad se.  
Cumq; illum abiisset, vocauit eum. Qui con-  
surgens aduocata vxore sua Cordia, osculatus  
est, dicens: Salue: iam non me videbis. Quæ ex-  
clamauit cum fletu, magna voce ad parace-  
mum dicens, A diuro te per Deum, quæ  
est hæc causa, ob quam quærit hac hora. At  
ille iurauit se ignorare, quia repente de som-  
no exsurgens Imperator misit eum. Philippicus  
ergo quæsiuit corpus Christi percipere, & sic  
ad Imperatorem properare. Vxor autem ia-  
cebat in terra se volutans & plorans, & Deum  
exorans. Ingressus verò Philippicus cubi-  
culum Regium, proiecit se ad pedes Impera-  
toris. Imperator autem dicit ei; Ignosce mihi  
propter dominum, quia peccaui tibi. Nam v-  
que nunc scandalizabar in te. Et iubens exire  
paracemum, surrexit, & cecidit ad pe-  
des



des Philippici, dicens: Ignosce mihi, quia modo certissime scio, quia nihil peccaueris in me. Sed dic mihi, scis aliquem inter agmina nostra Phocam militem? At verò Philippicus recogitans dicit ei: Vnum agnosco, qui ante modicum tempus procurator ab exercitu destinatus, contradicebat imperio tuo. At Imperator ait: Cuius est qualitatis? Qui ait: Iuuenis & temerarius, sed tamen timidus. Tunc Mauricius: Si timidus, inquit, profecto & homicida. Et referebat Philippico somni reuelationem. Porro nocte illa visa est stella in cælo, quæ dicitur cometa. In crastino autem venit magistratus, qui missus fuerat ad sanctos eremi patres, ferens responsa ab eis huiusmodi: Deus recepta poenitentia tua, saluabit animam tuam. & cum sanctis cum tota domo tua te constituet. Ab imperio verò cum ignominia & discrimine discedes. His auditis Mauricius, glorificauit magnifice Deum. Paulo post verò exorta seditionis causa Phocas Imperator creatur, qui in necem Mauricij commotus, missis militibus duxit eum Chalcedonem ad Eutropium portum, & primo quidem cruciauit eum in aedibus filiorum: post Imperator eum punit. Nam quinque filij eius mares coram visibus illius præocciderunt. Verum Mauricius patienter infelicitatem sustinens, Deum in omnibus inuocabat, & crebro pronunciauit, dicens: Iustus es Domine, & rectum iudicium

Q 9 3 cium



cium tuū. Fit itaq; mors ſiliorum epitaphium patris, præſtendens virtutem in mole calamitatis. Cumq; nutrix vnum ex imperatoris pueris furata fuiſſet, ſuumq; pro eo interceptioni obtuliſſet, Mauricius non annuit, ſed ſuum requiſiuit. Aiunt itaq; quidam, quod eo occiſo lac cum cruore fluxerit, ita vt omnes inſipientes dire lamentarentur. Sic ergo Imperator naturæ legibus etiã celiſior factus, vitam commutat.

*D. Gregorius Magnus lib. 4. Dialogorum, cap 36. De Stephano quodam per errorem è corpore educto, et poſtea in illud reuerſo, de que illius atq; alterius cuiuſdam militis admirabili viſione.*

## CAP. XVII.

**I**luſtris vir Stephanus, quem bene noſſi, de ſemetipſo mihi narrare conſueerat quia in Conſtantinopolitana vrbe pro quadã cauſa demoratus, moleſtia corporis ſuperueniente deſunctus eſt. Cumq; medicus atque pigmentarius ad aperienda eum, atque conſidendum eſſet quæſitus, & die eodem minime inuentus, ſubſequenti nocte corpus iacuit inhumatum. Qui ductus ad inferni loca, vidit multa quæ prius audita non credidit. Sed cum præſidenti illic iudici præſentatus fuiſſet, ab eo receptus non eſt, ita vt diceret: Non hunc adduci, ſed Stephanum ferrarium iuſſi. Qui ſtatim reductus in corpore eſt, & Stephanus ferrarius, qui iuxta eum habitabat, eadem



dem hora defunctus est. Sicque probatum est vera fuisse verba quæ audierat, dum hæc effectus mortis Stephani demonstravit. Ante triennium quoque in hac pestilentia, quæ hanc urbem elade vehementissima depopulavit, in qua etiam corporali visu sagittæ cælitus venire, & singulos quosque ferire videbantur sic ut nosti, Stephanus idem defunctus est. Quidam verò miles in hac eadem urbe nostra percussus, ad extrema peruenit. Qui eductus è corpore exanimis iacuit, sed citius rediit, & quæ cum eo fuerant gesta, narravit. Aiebat enim, sicut tunc res eadem etiam multis innuit, quia pons erat: sub quo niger atque caliginosus fœtoris intolerabilis nebulam exhalans fluvius decurrebat. Transacto autem ponte, amœna erant prata atque virentia, odoriferis herbarum floribus exornata, in quibus aliorum hominum conventicula esse videbantur. Tantusque in eodem loco odor suavitatis inerat, ut ipsa suavitatis fragrantia illic deambulantes, habitantesque satiaret. Ibi mansiones erant diversorum singule, magnitudine lucis plenæ. Ibi quædam miræ potentie ædificabatur domus, quæ aureis videbatur laterculis construi, sed cuius esset, non potuit agnosci. Erant verò super ripam prædicti fluminis nonnulla habitacula, sed alia exurgens fœtoris nebula tangebatur, alia autem exurgens fœtor è flumine minimè tangebatur. Hæc verò erat



rat in prædicto ponte probatio, vt quisquis per  
 cum vellet iniustorū transire, in tenebrosū  
 foetētemq; fluium laberetur. Iusti verò, qui-  
 bus culpa nō obsisteret, securo per eum gressu  
 ac libero ad loca amena peruenirent. Ibi se  
 etiam Petrum Ecclesiasticæ familiæ maiorem,  
 qui ante quadrienniū est defunctus, deorsum  
 positum in locis teterrimis magno ferri pon-  
 dere religatam ac depressum vidisse confessus  
 est. Qui dum requireret cur ita esset, ea se di-  
 xit audisse, quæ nos, qui cum in hac Ecclesia-  
 stica domo nouimus, scientes eius acta recolli-  
 mus. Dicitur namque est: Hæc idcirco pati-  
 tur: quia si quid ei pro facienda vltione vide-  
 batur, ad inferendas plagas plus ex crudelita-  
 tis desiderio, quàm obediētis seruiebat. Quod  
 sic fuisse, nullus qui illum nouit, ignorat. Ibi  
 se etiam quendam peregrinum presbyterum  
 vidisse fatebatur, qui ad prædictum pontem  
 veniens, tanta per eum autoritate transit,  
 quanta & hic sinceritate vixit. In eodem quo-  
 que ponte hūc, quem prædiximus, Stephanum  
 se recognouisse testatus est. Qui dum transire  
 voluisset, eius pes lapsus est, & ex medio cor-  
 pore iam extra pontem deiectus, à quibusdam  
 teterrimis viris ex flumine surgentibus, per  
 coxam deorsum, atque à quibusdam albatis &  
 speciosissimis viris cœpit per brachia sursum  
 trahi. Cumque hinc iustamen esset, vt hunc  
 boni spiritus sursum, mali deorsum traherēt,  
 ipse



ipse qui hæc videbat, ad corpus reuersus est: & quid de eo plenius gestum sit, minimè cognouit. Quæ in re de eiusdem Stephani vita datur intelligi: quia in eo mala carnis cum eleemosynarum operatione certabant. Qui enim per coxas deorsum, per brachia trahebantur sursum: patet nimirum quia & eleemosynas amauerat, & carnis vitiiis non restiterat, quæ cum deorsum trahebant. Sed in illo occulto arbitri examine quid in eo vicerit, & nos & eum, qui vidit, & reuocatus est, latet. Constat tamen, quia idem Stephanus postquam, sicut superius narraui, & inferna loca vidit, & ad corpus rediit, perfectè vitæ minimè correxit, post multos annos de corpore adhuc in certamine vitæ & mortis exiit. Quæ de re colligitur, quia ipsa quoque inferni supplicia cum demonstrantur, aliis hoc ad adiutorium, aliis verò ad testimonium fiat: vt isti videant mala quæ caueant, illi verò amplius puniatur, quoniam inferni supplicia nec visa & cognita vitare voluerunt.

*D. Augustinus epist. 100. ad Euodium. De quodam Gennadio, dubitante aliquando an aliqua esset vita post mortem, qui admirabili in somnis visione hoc errore liberatus est.*

## CAP. XVIII.

**N**arrauo vnum aliquid breuiter vnde cogitet Frater noster Gennadius notissimus ferè omnibus, nobisque charissimus

Q 9 5      medi-



medicus, qui nunc apud Carthaginem degit,  
 & Romæ suæ artis exercitatione præpolluit,  
 vt hominem religiosum nosti, atq; erga pau-  
 perum curam, impigra misericordia facilli-  
 moque animo benignissimum, dubitabar ta-  
 men aliquando, vt modò nobis retulit, cum  
 adhuc esset adolescens, & in his cleemosynis  
 feruentissimus, vtrum esset vlla vita post mor-  
 tem. Huius igitur mente & opera misericor-  
 diæ quoniam Deus nullo modo desereret, ap-  
 paruit illi in somnis conspicuus iuuenis & di-  
 gnus intendi, ei que dixit: Sequerere me: quem  
 dum sequeretur, venit ad quãdam ciuitatem,  
 vbi audire coepit à dextera parte sonos suauis-  
 simæ cantilenæ, vltra solitam notamq; suauis-  
 simum esse beatorum atque sanctorum. Sinistra  
 autem parte quid se vidisse retulit, non satis  
 memini. Euigilauit, & somnium fugit, ran-  
 tumque illo, quantum de somnio cogitauit:  
 alia verò nocte, ecce idem ipse iuuenis eadem  
 sursum apparuit, atq; ab illo vtrum cognosce-  
 retur, interrogauit: respondit iste, quod cum  
 bene planeq; cognosceret. Tunc ille quaesuit,  
 vbi se nosset. Nec memoriæ defuit, quod iste  
 identidem responderet, totumque visum il-  
 lud hymnosque sanctorum, ad quos audien-  
 dos eo duce venerat, qua recentissimos recor-  
 dabatur facilitate narrauit. Hic ille percontat-  
 us est, vtrumnam id quod narrauerat, in som-  
 nis



nis vidisset, an vigilans: Respondit: In somnis.  
 At ille: Bene, inquit, recolis: verum est, in som-  
 nis illa vidisti. Sed etiam nunc, in somnis te  
 videre scias. Hæc cum audisset iste, ita esse cre-  
 didit, atque id responsione firmavit. Tunc qui  
 hominem docebat, adiecit, & ait: Vbi est mo-  
 dō corpus tuum? Ille respondit: In cubiculo  
 meo. Scisne, inquit ille, eodem corpusculo  
 nunc illigatos esse, & clausos, & oculos ocu-  
 los tuos, nihilq; illis oculis te videre: Respon-  
 dit: Scio. Tunc ille: Qui sunt ergo, inquit, ocu-  
 li, quibus me vides: Ad hoc iste non inueniens  
 quid responderet, obticuit. Cui hastranti, ille  
 quod his interrogationibus docere molieba-  
 tur, aperuit. & continuo, Sicut, inquit, oculi il-  
 li carnis tuæ, utique in dormiente atque in le-  
 tulo iacente nunc vacant, nec aliquid ope-  
 rantur, & tamen sunt isti, quibus me intueris,  
 & ista vteris visione: ita cum defunctus fue-  
 ris, nihil agentibus oculis carnis tuæ vita tibi  
 inerit qua viuas, sensusque quo sentias. Caue  
 iam deinceps; ne dubites vitam manere post  
 mortem. Ita sibi homo fidelis, ablatam dicit  
 huius rei dubitationem. Quo docente? nisi  
 providentia & misericordia Dei.

*Rupertus Abbas Tuitiensis lib. 7. de diuinis officijs  
 ca. 4. De miraculo, quo fides resurrectionis proba-  
 ta est contra quendam de ea dubitante, & contra  
 hereticos circa annū Domini 1111 grassantes, ac  
 dicētes: Quomodo corpus Dominicum post resurre-  
 ctionem*



*tionem verum fuerit, quod clausis ad discipulatu-  
num intravit.*

## CAP. XIX.

**H**OC sancto Paschæ sabbato, quo cereo  
(de cuius quoque præconiis superius ali-  
qua diximus) annus ab Incarnatione Domini  
millesimus centesimus undecimus incipit  
est in Ecclesia S. Laurentij, ad procedentes  
eiusdem diei matutinos exstinctis de more ci-  
ctis luminaribus, dum eorum vltimum extin-  
gueretur, & ad canticum Euangelij, hæc antipho-  
na à Domino Abbate Beringero imponeretur,  
Mulieres sedentes ad monumentum, ecce re-  
pentè ante pedes patris cuiusdam nostri pro-  
iectum cecidit ipse, quo firmiter substrictus  
erat, cingulum. Ille solutum esse, & sic ceci-  
se suspicatus, quod tamen mirum fuisse, quia  
cum delapsus fuerat, neque circum cura pe-  
desque descenderat, sed ante pedes quasi pro-  
iectum (vt dictum est) exsiliat: inclinatus  
vt tollens illud, rursus sese accingeret. Cum-  
que manus iniiecisset, vt illud sibi met circum-  
daret, nodum vt erat fortiter adstrictus, non  
credere sibi, vltra quàm dici potest admiratus  
est. Intendenti & secum cum stupore magno  
reputati, quidnã hoc sibi vellent, ecce vox facta  
est, & sibilum tanquã auræ tenuis audiuit, dicen-  
tem sibi: Sic potuit clauso Christus prodire se-  
pulcho. Siquidem hæc, vt ipse referens testatus  
est, admiratio mentem eius persæpè subibat,  
quo.



quomodo verum Domini corpus, vnde ipse nullatenus dubitabat, clauso resurgere monumento, clausis poruit ianuis ingredi ad discipulos. Similem historiam narrat D. August. lib. 22. cap. 8. de ciuitate Dei, de Patronia foemina clarissima, quæ cum diuturno languore detenta esset, adco vt medicorum adiutoria cuncta defecissent, apud memoriam S. Stephani mirabiliter curata est. Deficiente itaque medicorum ope, persuadebatur à Iudæo quodam, vt annulum capillitio cingulo infereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur: qui annulus haberet sub gemma lapidem inuentum in renibus bouis. Hoc alligata quasi remedio, & sancti martyris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine, cum in confinio fluminis Bagradæ, in sua possessione mansisset, surgens vt iter perageret, ante pedes suos illum iacentem anulum vidit, & capillitiam zonam qua fuerat alligatus, mirata tentauit, quam cum omninò suis nodis firmissimis, sicut fuerat, comperisset adstrictam, crepisse atque exsiliisse annulum suspicata est: qui etiam ipse cum integerrimus fuisset inuentus, futuræ salutis quodam modo pignus de tanto miraculo se accepisse præsumpsit, atque illud vinculum soluens, simul cum eodem annulo proiecit in flumen. Non credunt hoc, qui etiam Dominum IESUM, per integra Virginalia matris enixum,

Q9 7 &amp;



936 COLLATION. SACRA R.  
& ad discipulos ostiis clausis ingressum fuisse  
non credunt.

*D. Augustinus lib. de cura pro mortuis gerenda cap.  
11. Pater defunctus anxio filio apparet in somnis,  
& de Chirographo certiore reddite,*

*CAP. XX.*

**P**RO certo, cū Mediolani essemus, audi-  
uimus, quod cū debitum repeteretur, à  
quodā defuncti patris cautione prolata, quod  
filio nesciente à patre iam fuerat persolutum,  
contristari homo grauissimè cepit atque mi-  
rari, quod ei pater moriens, non dixerit quid  
deberet, cū fecisset etiam testamentū. Tunc  
nimis anxio apparuit idem pater eius in som-  
nis, & vbi esset recantum, quo illa cautio va-  
cuata fuerat, indicauit. Quo inuento iuuenis  
atque monstrato, nō solum falsi debiti calum-  
niam propulsauit, sed etiam paternum recepit  
chirographū, quod pater non receperat, quan-  
do persoluta est pecunia.

*D. Augustinus ibidem. Augustinus adhuc vivens,  
Eulogio rhetori de loco Ciceronis obscuro sollici-  
to, in somnis apparet, exponens illi quod non intel-  
ligebat.*

*CAP. XXI.*

**N**OBIS apud Mediolanum constitutis Car-  
thaginis rhetor Eulogius, qui meus in  
eadem arte discipulus fuit, sicut mihi ipse po-  
steaquā in Africā remeauimus, retulit, cū  
rhetoricos Ciceronis libros discipulis suis tra-  
deret



deret, recēdens lectionem quam postridie fuerat traditurus, quendam locum offendit obsecurum. Quo non intellecto, vix potuit dormire sollicitus. Qua nocte somnianti, ego illi quod non intelligebat, exposui: imo non ego, sed imago mea nesciente me, & tam longè trans mare aliquid aliud, siue agente, siue somniantē, & nihil de illius curis omninò curante.

*Ludovicus Granatensis correctione 1. de S. Dominico, F. Romani Theologi Dominicanus apparet D. Thomæ Aquinatis, ad quæstiones quasdam illius responderi, atque ut in sua vocatione perseveret, hortatur.*

## CAP. XXII

**O**Ranti quodam tempore S. Thomæ Neapoli in templo Dominicanorum, apparuit frater Romanus S. Theologiæ doctor, quæ ille sibi Parisiis in prælectionibus reliquerat successorem, qui non ita pridem obierat, D. Thomæ ignorante. Ut ergo vidit illum iuxta se stantem, Gratulor, inquit, te huc aduenisse: sed quando, oro, venisti? Respondit ille: Ego iam excessi è corpore, permillum autem mihi est pro tuo merito tibi apparere. Territus co-  
 responso nō nihil sanctus vir, cū se collegisset, ait; Adiuuro te per Dominū ut indices mihi, num placeant Deo opera mea. Respondit Romanus; Perseuera in hoc statu, nec dubites grata esse Deo quæ facis. Et Thomas: Tecum  
 verò,



932 COLLATIOaN. SACRAR.  
verò, inquit, vt agitur? Respondit: Ego vita  
fruor sempiterna: attamen ob negligentia cu-  
ratum testamentum à Parisiensi Episcopo mi-  
hi traditum, poenas lui in locis purgatorijs ad  
dies quindecim. Et Thomas; Scis, inquit, cre-  
brò nos in disputationē illam adduxisse quæ-  
stionem, an permaneant in animo scientiæ in  
hac vita acquisitæ, quæso vt eâ mihi expedias.  
Respondit Romanus: Ego Deum intueor, no-  
li hac de re ex me seiscitari. Et Thomas; Vides-  
ne, inquit, Deum sine medio, aut aliqua re in-  
terposita? Tum ille; Sicut audiuimus, ait, sic vi-  
demus in ciuitate Domini virtutum, moxque  
disparuit, & S. Thomam magna reliquit con-  
solatione perfusum.

*D. Fridericus N. defunctus, Romæ sub crepusculum  
matutinum apparet D. Eifengreino in somnis, &  
lacum Salomonis admirabili doctrina exponit.*

CAP. XXIII.

**C**Vm anno Domini 1566.agerem Romæ cū  
viris Clariss. D. Martino Eifengreino &  
D. Ioâne Pfistero, Oratoribus Serenissimi Ba-  
uariæ Ducis Alberti apud sedē Apostolicam,  
paulò post Paschæ solemnia, D. Martinus Eif-  
engreinius, Orator tunc Bauaricus apud Pii  
V. Pōtif. Max. admirabilem habuit sub ipsam  
crepusculam matutinam visionē, quam mox  
vt euigilauit, mihi ad se accessito, atque itē  
D. Philippo Dobereinero admirandus e-  
narravit. Olim is cū D. Friderico N. tunc  
adhuc



adhuc superflite dissertationem habuerat de loco isto Salomonis, (*Sap. 11.*) Omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti. Itaque cum nuper defunctus esset D. Frider. N. visus est in somnis apparere D. Eifengreinius, eundemque locum admirabili doctrina ac dexterritate explicare. Videbat quoque D. Eifengreinius iuxta cubile suum pendentem tabulam, in qua omnis generis status & conditionis homines versari agitarique videbantur, & singuli quidem occupabantur circa res & negotia sua. In margine verò tabulæ infinitæ bilances apparebant pendentes, in quibus omnium & singulorum actiones, studia & molimina exactissime ponderabantur. Ac tandem post accuratam & absolutissimam istius loci Salomonis explicationem, cœpit interrogare Fridericum Eifengreinius, quo nam pacto secum ageretur, Saluusne factus esset. Ille verò respondit: Spero. Quo dicto evanuit, quasi desiderans suffragium. D. Eifengreinius mox euigilat. Paulo post exurgens, familiarem suum ad meū cubiculum amandat, ut me vocaret. Ego verò quia erat dies festus, iam in Vaticanum ad Ecclesiam S. Petri cōcesseram. Ille protinus mittit ad D. Philippum Dobereinerum, ei que totam rem exponens, mandat ut in loco sacrationi, qualia aliquot ista in vrbe ad suffragandum animabus a summis Pontificibus deputata, maximisque indulgentiis cohonestata sunt,



sunt, sacrificium corporis & sanguinis Domini offerri curet. Ego paulò post ab Ecclesia domum reuersus, euestigiò vocor ad D. Eisen-greinium, exponit quid viderit, quidque mihi in mandatis dare cupiisset, quod iam per D. Doberinerum curasset. Nec verò mirandum, si vir doctissimus, & Catholicæ religionis vindex accerrimus, sperat beatitudinis dilationem sustinere visus sit, cum & de S. Severino sanctissimo Episcopo in quibusdam historiis legatur, illum ab obitu suo non protinus ad æternæ felicitatis fruitione admissum: & D. Gregorius Magnus lib. 4. Dialogor. cap. 40. & 41. referat de viro integerrimo Paschasio, qui eius fuit sanctimonia, vt ex contactu vestis eius in feretro, malignus spiritus ab homine obsessio fugatus sit: & tamen ob exigua quædam ab ipso Paschasio viuente non animaduersa, adhuc quædam luenda habebat, donec Germani Episcopi Capuani deprecatione ab ipso Paschasio, in thermis apparente, postulata, liberaretur.

*D. Gregorius Episcopus Turonen. lib. 2. cap. 40. miraculorum D. Martini. De Sifulpho, cui D. Martinus apparet, expon. cur infirmitates, & hostium grassationes populum affligant.*

## CAP. XXIV.

Sifulphus ex Cinomanicis pauperculus dum in hortellum suum meridiè obdormiisset, nescio quid nequitia perpressus sit

E som-



E somno autem exsiliens, contractis in volam  
 digitis cum magno dolore perpeſſus, rursus  
 ſoluitur in ſoporem. Et vidit per viſum, & ec-  
 ce vir ſtabat ante eum nigris veſtibus, cano au-  
 tem capite. Qui conuerſus ait: Quid ſic, in-  
 quit, in ſletibus commoueris? Et ille: Ecce, ve-  
 nerabilis domine, dum parumper obdormiui,  
 cum dolore expergefactus opus manuū mea-  
 rum perdididi, & neſcio quid ſceleris commiſi.  
 Tunc vir, illi, tanquam diſcipulis dominus  
 de cæco nato: Quia neque ille peccauerat ne-  
 que parentes eius, ſed vt manifeſtaretur opus  
 Dei in illo, ait: Debelitas tua tormentum indi-  
 cat populi delinquentis. Vade ergo nunc per  
 vicōs & caſtella, & ad ciuitatem vique perca-  
 de, & prædica, vt ſe omnis homo à rapinis, &  
 uſuris abſtineat, & nullum opus in ſolemnita-  
 tibus myſticis agat. Ecce enim coram Domi-  
 no in lacrymis decumbemus, veniam pro po-  
 pulo deprecantes, & adhuc ſpes eſt obtinendi,  
 ſi emendatio ſequatur in plebe. Nam hoſtili-  
 tates, & infirmitates, & alia multa mala, quæ  
 perfert populus, indignationē Domini com-  
 mouent. Et idēdō nuncio velociter, vt ſe emen-  
 dare ſtudeant, ne crudeliter in ſcelere ſuo per-  
 eant. Tu vero his peractis, quæ imperaui, Tu-  
 ronum ad baſilicam propera, ibique te viſita-  
 bo, & obtinebis apud Dominum vt ſaneris.  
 Cui ille; Dic mihi, quæſo domine, quis es, vel  
 quod eſt nomen tuum? Cui vir; Ego ſum, in-  
 quit.



quit, Martinus sacerdos Turonensis. In his sancti verbis pauper surrexit à somno, apprehensoque bacello, iter imperatum aggreditur, & quæ sibi fuerant imperata, populis nunciavit. Mense autem septimo postquam hæc acta sunt, beatam basilicam adiit, ibique prostratus per triduum, quarta die à sancti virtute visitatus est. Iam enim computruerat in eo caro, vel nerui palmarum, qua de causa detinebatur. Et cum digiti eius directi fuissent, sanguis ab illis dem erupit. Sed eis omnibus medicatis, ore proprio quæ recolimus, enarrauit.

*D. Ambrosius Episcopus Mediolanen. in vita S. Agnetis virginis & martyris. Quomodo S. Agnes admirabilis decore parentibus ad tumultum eius pernoctantibus, apparuerit & Constantia regina in visione admonita, sanitatem pristinam miraculosè recuperauerit.*

## CAP. XXV.

**D**UM parentes beatæ Agnetis assiduis pernoctationibus vigilarent ad tumultum eius, vident in medio noctis silentiū exercitiū virginum, quæ omnes auro textis cycladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident beatissimam Agnetem, simili veste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque cum viderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas virgines, parumper gradū figere, & stans, paren-



parentibus suis dixit; Videte, ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi, & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi, & illi sum iuncta in caelis, quem in terris posita, tota animi intentione dilexi. Et his dictis, pertransiit.

Hæc visio publicè ab omnibus qui viderant, quotidie vulgabatur. Vnde factum est, vt post aliquantos annos, ad Constantiam, Constantini filiam, hoc factum ab his, qui viderant, narraretur. Erat enim ipsa Constantia regina, virgo prudētissima, sed ita obseffa vulneribus, vt à capite vsque ad pedes, nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio, spe recuperandæ salutis, venit ad tumultum martyris nocte: & licet pagana, tamen credula animi intentione preces fideliter fundebat: Quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur: & vidit per visum beatissimam Agnetem, talia sibi monita perferrentem: Constante age, Constantia, & crede Dominum Iesum Christum filium Dei esse Saluatorem tuum: per quem modò consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia euigilat sana, & sic sana, vt nec signum in eius membris alicuius vulneris remaneret.

Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium & patri suo Augusto, & fratribus suis imperatoribus. Coronatur ciuitas tota:

Fit



Fit lætitia militantibus, atque priuatis, & vniuersis audientibus hæc. Infidelitas gentium confundebatur: & fides dominica lætabatur. Interea patrem & fratres Augustos rogat, vt basilica beatæ Agneti construeretur, & sibi illic mausoleum collocari præcepit. Currit hæc opinio ad omnes, & quotquot credentes ad eius tumultum aduenissent, sanabatur quacunque fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus dubitat vsque in hodiernum diem. Perseuerauit autem Constantia Augusti filia in virginitate: per quam multæ virgines & mediocres, & nobiles, & illustres, sacra vel anima perceperunt. Et quia fides mortis damna nõ patitur, vsque in hodiernum diem multæ virgines Romanæ Agnetem beatissimam, quasi in corpore manentem, attendunt, & eius exemplo agentes viriliter, integræ perseuerant, credentes sine dubio, quod perseuerantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant.

Hæc ego Ambrosius seruus Christi, dum in voluminibus abditis inuenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio regi. Ad honorem igitur tantæ martyris, sicut gesta eius agnouit, conscripsi: & ad ædificationem vestram, o virgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans charitatem Spiritus sancti, vt labor noster in vestra imitatione fructum in conspectu Domini valeat inuenire. Amen.

Lado.



Ludovicus Blosius *Monialis spiritualis cap. 13. De admirabili quadam visione S. Gertrudis, & exacta omnium malorum honorumque operum retributione.*

## CAP. XXVI.

**R**eligiosa quaedam virgo cum in monasterio S. Gertrudis defuncta esset, vidit ipsa Gertrudis animam eius in loco admodum lucido mirifice exornatam consistere. Cui etiam Dominus Iesus adstabat, & quinque vulneribus suis sensus illius noua suauitatis dulcedine recreabat, eamque blandè cōsolabatur. Dixit itaque Gertrudis ad dominum: Quam tu Deus totius consolationis huic tam amabilem serenitatem exhibeas, quid est, quod ipsa mœstiori vultu grauamen internum præterdit? Ad quod Dominus: Ex hac mea præsentia, anima quã cernis non nisi delectamenta meæ humanitatis percipit. Vnde & plenè consolari non potest: sed vbi à negligētis præteritæ vitæ purgata fuerit, ego eam in præsentia iucundissimæ diuinitatis meæ perfectè cōsolabor. Et ista: Nunquid, Domine mi, miseratione tua non præualeret filiam tuam (cui ab infantia dederas pium cor & benignam voluntatem erga omnes homines) nunc absolueri ab omni negligentiarum impedimento? Respondit Dominus: Pietatem cordis eius, benignamque voluntatem abundantissimè remunerabo: sed oportet (dictante iustitia mea) vt omnis macula abstergatur. Et quasi blandien-



do tenens mentum puellæ, adiunxit: In hoc sponsa mea libētissimè consentit iustitiæ mee: quia quum plenè purgata fuerit, gloria diuinitatis meæ iucundissimè perfruetur. Ad quæ verba Domini, illa benigno vultu annuit. Postea sancta Gertrude offerente sub Missa pro eadem puella salutarem hostiam, quæ à sacerdote eleuabatur, dixit anima: In veritate certum esse experior, nullum quantumlibet exiguum bonum in homine carere remuneratione, nec vllam quantumuis paruam culpam esse, quæ nõ purgati debeat ante vel post mortem. Quia enim sacram communionem libenter accepi, quando in terra viuebam, nunc magnum remedium obtineo de Sacramento altaris pro me oblato. Et quia tam benignam voluntatem ad omnes homines habui, modo multò citius iuuat me oratio pro me fusa. Insuper etiam æternam remunerationem exspecto, quam in cælo recipiam. Sicque sursum ferri anima videbatur, subleuata precibus Ecclesiæ. Sciebat autem (vbi ad statutum terminum perueniret) Dominum cum corona gloriæ sibi obuiaturum, seque in gaudium æternum introducturum. Licet verò purgandus quisque iustitiæ & voluntati diuinæ consentiat, non tamen amat poenas suas: sed cuperet se ita vixisse, vt iam nihil in se esset puniendum & purgandum. Mauult tamen in purgatorio perferre poenas cum certitudine perueniendi ad Deum, quam



quàm adhuc esse in hac vita cum periculo peccandi in Deum.

*Ex lib. 4. Insinuationum diuine pietatis, cap. 28. & ciat D. Ludonicus Blostus in Monili spiritali, ca. 14. Quàm exactè pateant cogitationes & actiones humane coram Deo & omnibus sanctis, & quomodo ornentur per merita Christi, & quomodo stigmata peccatorum etiam per penitentiam deleorum, apparebunt, non ad ignominiam, sed ad laudem & gloriam diuine misericordie.*

## CAP. XXVII.

**S**ancta & deuotissima virgo Gertrudis, dū in quadam feria & secunda Pasche cōmunicatura oraret Dominum, vt per illud dignissimum Sacramētum supplere dignaretur omne; quod ipsa vnquam neglexerat in ordine religionis, suscipiens eam filius Dei presentauit Deo Patri, indatam tunica religionis: quæ tunica videbatur ex tot partibus distinctim composita, quot annos vixerat in religione: ita quod inferior pars tunicæ reputabatur pro primo anno, secunda pro secundo anno, & sic deinceps vsque ad annum, in quo tunc erat. Videbaturque tunica illa ita expansa & extensa, quod nullius omnino plicæ vmbra quicquam in ea contegere poterat, sed in quolibet anno distinctim apparebat annotati omnes dies & horæ, & insuper singulæ cogitationes, verba, & opera, tam bona quàm mala, quæ in illo anno peregerat de die in diē,

R r de



de hora in horā, de cogitatione in cogitationem, de verbo ad verbum, de opere ad opus; & quid singulis verbis & factis suis intenderet, vtrum scilicet Dei laudem, & animæ suæ profectum, aut humanum fauorem, vel alicuius damnum: quid etiam in quolibet commodo vel abstinentia, vel quocunque opere ex pura obedientia, quidve ex propria deliberatione perfecerat. Vbi autem in aliquo opere sibi blandita fuerat, quasi ex obedientia illud fecisset, quod magis ex propria deliberatione sibi à magistratu obtinuerat permiti, aut per aliquam callidam occasionem extorserat sibi mandari: talia nimirum opera obedientiæ apparebant in tunica illa, velut quadam gemmulæ luto fragili infixæ, quæ nutantes & quasi casuræ vix poterant hære. Orante autem pro ea filio Dei, & suam innocentissimam ac perfectissimam conuersationem Deo patri offerente, videbatur tunica illa veuii quadam aurea lamina splendidissima & perspicatissima obiecta: per quam tum omnia prædicta cogitationum, verborum, & operum, nec non intentionum, necessitatum vel simulationum (quæ vel scienter vel negligenter, spontè vel coactè quolibet tempore vel hora peregerat) merita adeò clarè permicabant & distinctè: quemadmodum per purum crystallum quilibet color suppositus potest decerni. Nec aliquis saltem minimus puluis aut punctus late-



re poterat, qui in luce cogitationes infallibilis veritatis, tam Deo quam etiam omnibus cælicolis, euidentissimè non appareret Vnde diuinitus intellexit, quod cuiuslibet hominis status similiter patet Deo & omnibus sanctis per æterna sæcula. Quod autè Dominus dixit per Prophetam; In quacunque hora conuersus fuerit peccator, &c. sic intelligendum est, quod non recordabitur Dominus ultra peccatorum condigna pœnitentia deletorum ad iudicandum. Veruntamen iugiter apparebunt in nobis singulæ maculæ peccatorum nostrorum ad laudem & gloriam dulcissimæ misericordix eius, qua tam benignè pœnitentibus peccata dimisit, & insuper tam multimodis beneficiis suæ diuinæ pietatis nos circumuenit, ac si nunquam contra ipsum in aliquo deliquissemus. Singula etiam opera nostra bona, cogitationes, verba, voluntates, quas vnquam pro amore & laude Dei perfecimus, similiter in sempiternum efflorescunt ad laudem ipsius, (cuius dono & cooperatione vestra perfecimus) & ad cumulum gaudiorum nostrorum, sicque semper pro inuicem laudabimus & amabimus Deum, qui in Trinitate perfectæ viuens & regnans, operatur omnia in omnibus nobis.

*Ludovicus Blosius cap. 13. Monilis spiritualis, ex lib 5.  
Insinuat. diuinæ pietatis. Animæ necdum plenè  
purgatæ ipsamet ob reuerentiam diuinæ maiestatis*



*is se subducunt amplexibus sponsi, donec perfecte mundentur.*

CAP. XXVIII.

**Q**Uum quaedam virgo monasterij beate Gertrudis, post iuuenilem aetatem in virtutibus sanctae religionis peractam, defuncta esset, vidit eam, ipsa Gertrudis in magna luce & vario ornatu adstare Iesu Christo: que tamen tanquam sponsa verecunda vultum dimittes, nitebatur se subducere, non ausa leuare oculos ad gloriam diuinae maiestatis. Hinc Gertrudis zelo pietatis ducta, dixit ad Dominum: Eia benignissime Deus, quare hanc filiam tuam non suscipis inter suaues amplexus tuos, sed eam tanquam alienam tibi adstare permittis? Ad quae verba Dominus videbatur blandissima serenitate extendere dexteram suam tanquam amplexaturus animam. At illa cum delicata quadam reuerentia subtraheret se. Quod multum admirans Gertrudis, ait anime: Quare subducis te amplexibus sponsi tam amabilis? Cui illa: Quia nondum purgata sum, sed adhuc maculae aliquae me incompositam reddunt. Etiam si omnino liber ad caelum accessus mihi pateret, ego tamen (dicente iustitia) memetipsam sponte subtraherem, quum sciam me tam glorioso sponso nondum conuenire. Tum Gertrudis: Et tamen videris iam quasi glorificata. Ad quod anima: Illam, inquit, beatitudinis gloriam, quam sancti ex visione



visione & fruitione diuinitatis cum plena remuneratione obtinent, nulla anima mereatur accipere, donec ab omni macula perfectè purgata, intret in gaudium Domini sui.

*Ludovicus Blosius cap. 10. Monialis spiritualis, ex lib.*

*Insinuation. diuine pietatis. Sine tribulatione & molestia regnum Dei obtineri non potest.*

## CAP. XXIX.

**Q**um virgo Gertrudis commiseratione mota, oraret pro quadam persona, quam audierat impatienter conquerentem, quod Deus grauamina sibi immitteret saluti suæ minus conuenientia: respondit ei Dominus: Dices illi, pro qua oras, vt quia sine aliqua saltem tribulatione vel molestia regnum cælestè obtineri non potest, eligat atque indicet quænam grauamina sibi vtilia esse putat: & quum hæc ipsi euenerint, seruet patientiam. In quibus verbis Domini Gertrudis intellexit, periculosissimū genus impatientiæ esse, quando homo peruersè ac superbè eligere vult quæ ferat: dicens saluti suæ minus competere, seque non posse sustinere ea grauamina, quæ sibi à Deo immittuntur. Oportet enim, vt quilibet semper cõfidat illud conuenientissimū & vtilissimū esse, quod sibi Deus imponit, aut euenire permittit: & quādo hoc non omninò patienter sustinet, inde seipsum humiliare debet. *Ex lib. 4. cap. 4. Spiritualis gratia. Quod adhuc uiuentes sunt felicissimi.*

Rr 3

CAP.



**R**eligiosissima virgo Mechtildis, (quam Ludouicus Blofius Abbas doctiffimus miris præconiis commendat) cum creberri-  
mè à sponfo fuo Chrifto, cui fe totam confe-  
crauerat, vifitaretur, multaquæ admiranda co-  
gnofceret, audiuit aliquando inter cætera  
fanctos fibi dicentes: Eia, quàm felices vos eftis,  
qui adhuc viuitis in terris, & quàm multa  
promereri potestis: quia fi homo fciret, quanta  
vna etiam die promereri poffet, mox à fom-  
no cuigilaret, tanto gaudio coreius dilatare-  
tur, pro eo quod dies illa illuxiffet, in quo Deo  
viuere, & ex Dei gratia fuum meritum ad Dei  
laudem augere poffet, quod tota die ad omnia  
quæ agere aut pati deberet, alacrior & fortior  
videretur. Hanc arbitror effe illam Mechtil-  
dim, quæ in pago Eichfel Conftantiensis dice-  
ceffis cum fanctis virginibus Kunegunde &  
Viberade requiefcit, apud quarum memori-  
am cum iam ante pleraq; facta effent, & præ-  
fente Iacobo Merbolt Bambergensis diceceffis  
clerico, à Raimundo Cardinali Gurceni ad  
rci veritatem inquirendam iftuc ablegato, tria  
fierent insignia miracula, iuffit eas in honore  
haberi. Anno 1503. vt videre eft apud Lauren-  
tium Surium in Chronicis. Qui parèè femi-  
nat, inquit Apoftolus, parèè & metet Opera  
enim illorum fequantur illos Et ipfe Domi-  
nus: Negotiamini dum venio. Et alibi expo-  
ftulat



stulat cum seruo nequam & otioso, quod pecuniam suam non dedisset ad vsuram.

*De inuentione librorum Moralium B. Gregorij Magni. Habetur in principio operum D. Gregor. De admirabili & incunda visione B. Tagionis Episcopi in basilica sanctorum Apostolorum Petri & Pauli Romae.*

## CAP. XXXI.

**B**eatu8 Gregorius Papa librum beati Iob, petente sancto Leandro Hispalensi Episcopo, exposuit, sicut in prologo Moralium patenter videri potest, & ei expositu8 tradidit. Illeque expositum eum in Hispaniam ad sedem Hispalensem detulit. Hispalensis autem ciuitas vulgari nomine Sybilia vocatur, & est Metropolis Hispaniæ, Decedente ergo beato Leandro, sanctus Isidorus, germanus eius, doctor præcipuus, loco eius factus est Archiepiscopus. Post cuius decessum, libri Moralium, quos beatus Leander attulerat, ita per negligentiam perditu sunt, vt in tota Hispania non inuenirentur. Post aliquot ergo annos Cyndefindus rex Hispaniæ concilium triginta Episcoporum in vrbe Toletana cõgregauit, vbi quærimonia facta de amissione Moralium, vnanimi consilio Episcoporum, præfatus rex Tagionem Cæsaraugustanũ Episcopum Romanam misit cum epistolis ad Papam, pro quærendis eisdem libris. Erat enim Tagio Episcopus diuinæ scripturæ amator feruentissimus.

R r 4 Venit



Venit ergò Romam, presentatisque regalibus  
 epistolis & muneribus, cum de die in diem vi-  
 deret petitionem suam à Papa differri, quasi  
 præ multitudine aliorum librorum, illi quos  
 quærebat, non possent in archiuo sedis Apo-  
 stolice reperiri, ad vltimum postulauit, vt sal-  
 tem sibi licentia daretur, vna nocte integra in  
 Ecclesia beati Petri vigilandi & orandi. Qua  
 accepta, cum enixius obsecraret Deum, vt iam  
 iamque sui itineris effectus prosperaretur, ec-  
 ce circa mediam noctem in ipso orationis fe-  
 uore persistens, vidit totam Ecclesiam im-  
 menso lumine repleti. Deinde prospicit ma-  
 gnam reuerendorum virorum, niueis vesti-  
 bus indutorum, multitudinem, ianuam Ec-  
 clesie ingredientem, & decenti ordine binos  
 & binos ad altare sancti Petri tendentem.  
 Cumque nimio terrore perterritus, de loco  
 in quo stabat, se mouere non auderet, ecce vi-  
 dit duos ex eis de cœtu illorum egressos ad se  
 venientes. Ex quibus vnus dulciter salutans  
 eum, percunctatur quis esset, vnde, & cur ve-  
 nisset, & cur ea hora ibi vigilaret. Episcopo ve-  
 rò ad singula respondente, totamque itineris  
 sui & orationis causam referente, is qui adue-  
 nerat, digitum protendens: In scrinio, inquit,  
 illo quod cernis, continentur libri quos quæ-  
 ris. De hoc scrinio videtur loqui ipse D. Gre-  
 gor. in prologo 40. homiliarum ad Secundi-  
 num, sub finem. Tunc verò Episcopus fiducia  
 assum.



assumpta: Obsecro, inquit, mi domine, ut mihi seruo tuo pandere digneris, quæ nam sit illa quam cerno tam præclara virorum processio: Protinus ille respondens: Duo, inquit, illi quos præcedentes, seque inuicem manu inserta vides complectentes, beati Apostoli sunt, Petrus & Paulus. Reliqui verò, quos post eos cernis stantes, ipsi sunt successores eorum, huius Apostolicæ sedis Pontifices. Et eodem ordine, quo eos in episcopatum sunt secuti, etiã nunc eos sequuntur. Et sicut hanc Ecclesiam in vita sua dilexerunt, ita & nunc post obitum diligunt, & frequenter eam inuisere veniunt. Tunc Episcopus: Oro, inquit, mi domine, ut dicas mihi, quisnam tu ipse sis. Ille respondit: Ego sum Gregorius, pro cuius libris tanti itineris laborem sustinui. Ideoque nunc veni, ut tuæ satisfacerem petitioni. Tunc Episcopus inquit, Obsecro Domine mi, (si hic est) mihi dicas, quisnam istorum est beatus pater Augustinus, cuius libros non minus quàm tuos dilexi. Respondit: Beatum Augustinum virum excellentissimum (de quo quaeris) altior à nobis continet locus. Hæc dixit, statimque cum socio qui secum venerat, ad coetum aliorum rediit. Postea vidente episcopo, omnes simul ad altare sancti Petri reuerenter submissis capitibus inclinantes, eodem quo venerant ordine, iannuam Ecclesiæ repetierunt, & cum lumine quod prius viderat, recesserunt.

R r 5

Mane



950 COLLATION. SACRAR.  
Mane autem facto, praefatus Episcopus Do-  
mino Papae cuncta quae viderat, retulit Sicq;  
acceptos & descriptos libros Moralium in Hi-  
spaniam reportauit. Hancq; visionem eis de-  
inceps praenotari & praescribi instituit.  
*Vincenius Beluacensis in speculo historiali, & Lau-  
rent. Surius in vitis sanctor. 15. Ianuarij. De san-  
cto praefule Bonito, qui orationis causa in Ecclesia  
pernoctans, à B. virgine ad sacra operandum inui-  
tatur, & ab eadem admirabili veste donatur.*

CAP. XXXII.

SANCTUS Praeful Bonitus Aluernensis, cum  
cor suum perfecte dedisset, vt perfecte Ie-  
sum & eius matrem diligeret, quadam die  
templum beati Michaelis cum turba intrauit,  
& in angulo basilicae licet inter multos, soli-  
tudinem cordis sibi fecit. Consummatis my-  
steriis, quique in sua redierunt, & ipse solus  
in latibulo suo remansit: & custodes, ne quis  
remansisset, perferutati sunt Ecclesiam, sed  
Dei nutu sancti viri non potuerunt inuenire  
latebram, qui obseratis iam Ecclesiae for-  
tibus eò securius, quò secretius effudit in ea  
animam suam, factusque in agonia prolixius  
orans, vidit huiusmodi visionem. Ecce repen-  
tè de caelo sonuit quasi vox dulcis cantilenae,  
& micantibus luminaribus, limen templi ce-  
pit tremere tanquam intrante multitudine.  
Adspiciebat vir sanctus, & ecce virgo Maria in-  
stabat cum candidato sanctorum angelorum,  
& sa-



& sanctorum hominum, & chorus ille celestis decantabant, Dominæ eiusque filio, ipsa quoque vocem suam exercuit in Christi præconio. Et sic quidem per mediū chori facta est illa processio. Cumque ventum fuisset ante altare, quæsitum est à quibusdam sanctorū, quis haberet Missam celebrare. Et inquit beata virgo: Adest Bonitus præsul verè bonus & satis dignus, cui hoc officiū debeat committi. Audiens hoc ille, pauebat & retrahebāt se, cuius rei lapis, qui ei cecidit, adhuc seruat indicium. Tandem quæsitus & inuentus est, deductus & præsentatus illi beatæ congregationi, & ministrantibus sanctis, veste nuptiali ornatus est, ac diuino altari applicatus. Et postquam dedit in celebratione sancti operis decus, ac deceter consummauit, Beata virgo valesaciens dilecto suo, pro munere celestem vestem ei dedit. Res est nota satis: & apud Alueruenses admodum celebris, maximè autem in ciuitate Aluerniæ, quæ dicitur Mons clarus, & vsque hodie monstratur populo vestimētum illud celeste, cuius materies & contexturæ modus à nullo hominum dignosci potest, & est eximij candoris, miræque leuitatis ac lenitatis.

*Ioannes Nauclerus in Chronicis Tomo 2. generatione 34. de iucunda & amabili visione Henrici Imperator quæ habuit Romæ in Ecclesia B. Mariæ maioris.*

## CAP XXXIII.

**H**enricus eius nominis secundus, vel velij

Rr 2

alij



alij volunt, primus Imperator, ingrediens urbem Romanam, solebat semper primam noctem in Ecclesia S. Mariæ maioris manere. Contigit autem semel, quod dum solitarius oraret, visus sit sibi Christus Pontificalibus indutus procedere Missam celebraturus: quem sequebatur S. Laurentius, & loco subdiaconi Vincentius, post hos virgo Dei genitrix cum multitudine virginum & angelorum, dehinc Ioannes Baptista cum Patriarchis & Prophetis: post hos Petrus & Ioannes cum cæteris Apostolis & Euangelistis, S. Stephanus cum Martyribus, S. Martinus cum Confessoribus, Angeli inceperunt introitum. Suscepimus Deus misericordiam, & dum cantaretur, Dexteram tuam plena est iustitia, omnes Christum & beatam virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum. Post Euangelium indicibili iubilo Angelus librum deoscularum à Christo presentavit B. Mariæ, & post eam omnibus per ordinem deoscularum, demum innuit beata virgo Angelo, ut porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens: Præbe ei pacis osculum, cuius mihi virginitas placet: & cum præ nimio gaudio raptus, nesciret ad plenum intèdere, angelus ipsum in nervo tangens, dicit: Hoc tibi erit signum dilectionis Dei propter tuam castitatem & iustitiam, & exinde usque ad mortem claudicabat, ex quo euentu vocatus est Henricus claudus.

Licet



Licet autem hic Henricus & Kundegundis  
 eius vxor in virginitate voluntaria permanse-  
 rint, tamen (vt ibidem in generatione 35. refert  
 Nauclerus) instigante diabolo grandis inter-  
 uenit perturbatio. Nam Henricus Kundegun-  
 dem cum quodam milite suspectam habere  
 cœpit, sed beata virgo se expurgans, super can-  
 dentes vomeres (vtor verbis Naucleri) nudis  
 pedibus incessit per 15. passus, dicens: O Deus,  
 sicut me non solum ab Henrico, sed etiam ab  
 omnibus viris intactam nouisti, ita me adiu-  
 ua: ad quæ audita est vox: Nihil dubita ô vir-  
 go, te liberabit Virgo Maria, & sic illæsa per-  
 transit, vixit vsque ad annum 1039. Post mor-  
 tem multis claruit miraculis,

*Ex vita S. Anselmi Canuarien. Archiepiscopi ab  
 Edimero Anglo eius conuictore conscripta. Ansel-  
 mus in extasi raptus, videt mundi pericula, &  
 veri monachatus felicissimam securitatem. (Quæ  
 vita habetur in operibus B. Anselmi, & in Tomis  
 Suij 21. Aprilis.)*

## CAP. XXXIIII.

**C**um Diuus Anselmus totam suæ mentis  
 intentionem in contemptum mundi com-  
 posuisset, & his solis quæ Dei erant, totum stu-  
 dium suum infixisset, vt mores sui à dictis &  
 scriptis suis, in nullo discordarent, contigit, vt  
 infirmitate correptus, grauiter affligeretur.  
 sed ipse in Deo semper existens, languore pau-  
 lis per sedato, extra se per mentis excessum ra-  
 ptus,



954 COLLATION. SACRAR.  
ptus, videt fluuium vnū rapidum atque precipitem, in quem confluebāt omnium fluxuum purgaturā, & quarumcunque rerum terrā lauaturā. Videbat itaque aqua ipsa nimis turbida & immunda, & omni spurcitiarum sorde horrida. Rapiebat igitur in se quicquid attingere poterat, & deuoluebat tā viros quam mulieres, diuites & inopes simul. Quod cum Anselmus vidisset, & tam obscenam reuolutionem illorum miseratus, vnde viuerent, aut vnde suam suam refocillarent, qui sic ferebantur, inquireret, accepissetque responsum, eos ea qua traherentur, aqua viuere delectarique, indignantis voce inquit: Quomodo: taline aliquis coæuo potatus, vel pro ipso hominum pudore se ferret? Ad hæc ille, qui comitabatur eum: Ne mireris, ait, torrens mūdus est, quem vides, quo rapiuntur & inuoluuntur homines mundi, & adiecit: Visne videre, quid sit verus monachatus? Respondit: Volo. Duxit ergo illum quasi in conseptum cuiusdam magni & ampli claustrij, & dixit ei: Circumspice. Adspexit, & ecce parietes claustrij illius obducti erant argento purissimo: Herba quoque mediæ planitie virens, erat & ipsa argentea, mollis quidem, & vltra humanam opinionem delectabilis: Hæc more alterius herbe, sub his, qui in ea pausabant, leniter fleebatur, & surgentibus ipsis, & ipsa erigebatur. Itaque locus ille totus erat amœnus, & præcipua iucunditate repletus.



repletus. Hunc ergo ad inhabitandum elegit sibi Anselmus. Tunc ductor eius dixit ei: Eia, vis videre quid sit patientia vera? Ad quod cum ille magno cordis affectu gestiret, & se id quam maxime velle responderet, ad se subito reuersus, & visionem & visionis demonstratorem dolens ac gembūdus pariter amisit. Duas autem quas viderat visiones, intelligens secumque reuoluens, eō magis vnus horrore fugere, quo alterius amoenitate studuit delectari.

*Venerab. Beda lib. 4. cap. 14. histor. Anglicana. Grāsante pestilentia Abbas Eappa cum monachis suis ieiuniis & orationibus insistunt, moxque puerulo cuiusdam decumbenti, apparēt Ferrus & Paulus Apostoli, monasterij liberationē, & pueri felicem post diuinorum mysteriorum participationē excessum prædicantes.*

## CAP. XXXV.

**E**odem ferme tempore, quo ipsa prouincia nomen Christi susceperat, multas Britannia prouincias mortalitas saeva corripiebat. Quæ cum præfatum quoque monasterium, cui tunc regendo reuerendissimus ac religiosissimus Christi sacerdos vocabulo Eappa præfuit, nutu diuinæ dispensationis attingeret, multi que siue de his, qui cum Antislite erant, siue de illis, qui de eadē prouincia Saxonum nuper ad fidem fuerant vocati, passim de hac vita raperetur, visum est fratribus triduanum ieiunium agere, & diuinam suppliciter obsecrare



erare clementiam, vt misericordiam sibi dignaretur impendere, siue periclitantes hoc morbo à præsenti morte liberaret, seu raptos è mundo à perpetua animi damnatione seruaret. Erat tunc temporis in eodem monasterio puerulus quidam de natione Saxonum nuper vocatus ad fidem, qui eadem tactus infirmitate, non pauco tempore recubans in lectulo iacebat. Cum autem secunda memorari ieiunij ac supplicationum dies ageretur, contigit fortè istum puerum hora sermè secunda diei, in loco in quo æger iacebat, solum inueniri, cui diuina dispensatione subito beatissimi Apostolorum principes dignati sunt apparere. Erat enim puer multum simplici ac mansueti animi, sinceraque deuotione sacramenta fidei quæ susceperat seruans. Salutantes ergo illum verbis piissimis Apostoli, dicebant: Noli timere fili mortem, pro qua sollicitus es: nos enim hodierna die te sumus ad cælum perducturi. Sed primum expectare habes, donec Missæ celebrentur, ac viatico Domini corporis ac sanguinis accepto, sic infirmitate, simul & morte absolutus, ad æterna in cælis gaudia subleueris. Clama ergo presbyterum ad te eappan, & dicitur illi, quia Dominus exaudiuit preces vestras, & deuotionem ac ieiunium propitius adspexit, neque aliquis de hoc monasterio, siue de adiacētibus ei possessiunculis hac clade vltra moriturus est. Sed omnes  
qui



qui alicubi de vestris hac ægritudine laborant, resurrecturi à languore, ad pristinam sunt sospiritatem recuperandi, præter te solum, qui hodierna liberandus es die à morte, & ad visionem Domini Christi, cui fideliter seruiuisti, perducendus in cælum. Quod diuina vobis misericordia, per intercessionem religiosi ac Deo dilecti regis Osvaldi, qui quòdam genti Nordan Humbroorum, & regni tēporalis auctoritate, & Christianæ pietatis, quæ ad regnū perennē ducit, deuotione sublimiter præfuit, conferre dignata est. Hac etenim die idem rex ab infidelibus in bello corporaliter extinctus, mox ad sempiterna animarum gaudia assumptus in cælum, & electorum est sociatus agminibus. Quærant in suis codicibus, in quibus defunctorum est adnotata depositio, & inuenient illum hac (vt diximus) die raptum esse de sæculo. Celebrant ergò Missas per cuncta monasterij oratoria huius, siue pro gratiarum actione exauditiæ suæ deprecationis, siue etiã in memoriã præfati regis Osvaldi, qui quondam ipsorum genti præerat. Ideoque pro eis, quasi pro suæ gentis aduenis supplex orabat ad Dominum, & cunctis conuenientibus ad Ecclesiam fratribus communicent omnes sacrificiis celestibus, & ita soluto ieiunio corpus quoque suis reficiant alimentis. Quæ verba, cum omnia vocato ad se presbytero puer narrasset, interrogauit cum sollicitus, quales essent



essent habitu & specie viri, qui sibi apparuis-  
sent. Respondit; Præclari omninò habitu &  
vultu erant, latissimi atque pulcherrimi, qua-  
les nunquam ante videram, neque aliquos ho-  
minum tanti decoris & venustatis esse posse  
credebam, vnus verò attonsus erat vt clericus,  
alius barbam habebat prolixam. Dicebantque  
quod vnus eorū Petrus, alius vocaretur Pau-  
lus, & ipsi essent ministri Iesu Christi, ad-  
tutionem nostri monasterij missi ab ipso deca-  
lis. Credidit ergò verbis pueri presbyter, ac  
statim egressus requisit in annali suo, & in-  
uenit eadem ipsa die Osvaldum regem fuis-  
se peremptum. Vocatisque fratribus parare  
prandium, Missas fieri, atque omnes commu-  
nicare more solito præcepit, simul & infirmā-  
ti puero de eodem sacrificio Dominicae obla-  
tionis particulam deferri mandauit. Quibus  
ita gestis, non multò post eadem ipsa die puer  
defunctus est, suaq; morte probauit vera fuis-  
se verba, quæ ab Apostolis Christi audierat.  
Sed & hoc verbis eius testimoniū perhibuit,  
quod nemo præter ipsum tempore illo ex eo-  
dem est monasterio raptus de mundo. Ex qua  
nimirum visione multi, qui hæc audire po-  
tuerunt, & ad exorādā in aduersis diuinam  
clementiam, & ad salutaria ieiuniorum reme-  
dia subeunda, sunt mirabiliter accensi. Et ex  
eo tempore non solum in eodem monasterio,  
sed & in plerisque locis alijs cæpit annuatim  
eiusdem



eiufdem regis ac militis Chifti natalitius dies  
Miffarum celebratione venerari.

*Lambertus Schafnaburgensis in hiftoria Germanorū.  
De vifione quadam mirabili S. Annonis Archie-  
pifcopi Colonienfis.*

## CAP. XXXVI.

**D**imidio ferè anno priusquam vita excede-  
ret Archiepifcopus Anno, vifus est sibi  
domum quandam omni decore intus & fo-  
ris refplendentem intrare. Et ecce in fubfelliis  
iudicialibus, tanquam ad concilium folemni-  
tereuocati refidebant, Heribertus Colonien-  
fis Archiepifcopus, Bardo Moguntinus Ar-  
chiepifcopus, Boppo & Eberhardus Treuiren-  
fes Archiepifcopi, Arnulfus VVormatiensis  
Epifcopus, & alij quàm plures Galliarum Epi-  
fcopi, quorum alios in carne nouerat, alios fa-  
ma tantum & lectione compererat, amicti o-  
mnes ftolis pōtificialibus, & habentes veftem  
inftar niuis candidam. Ipfe quoque candidis  
admodū ac preciofis indutus sibi videbatur,  
fed partem candentis vefimenti, eam fcilicet,  
qua pectus tegebatur, fordida quædam ac fœ-  
da caligo obduxerat, ac cæterum cultus eius  
fpendorem fua fœditate plurimum obfufca-  
bat, quam tamen ipfe nimio rubore perfufus  
obiecta manu tegere ac celare, ne infpicientiū  
offenderet obtutum, conabatur. Vidit inter  
eos sibi quoque fedem miri decoris paratam.  
Quam cum occupare gaudio & exultatione  
æftuans



æstuans procuraret, surgens Arnolfus VVormatiensis Episcopus, modesta voce cum prohibuit, dicens, Reuerendos patres, qui assiderent, nolle eum in suum admittere cõfessum, propterea quod vestem eius turpis hæc macula scedaret. Cumque iussus loco cedere, stens confectoque nimirum animo egrederetur, insecutus eum idẽ Episcopus, Aequo animo, ait, esto pater, maculam tantum hanc, que vestem tuam infecit, maturius ablui præcipe, quia nõ post multos dies beatæ huius mansionis consortium, & sanctorum, quos patrũ adspexisti cõfessum, voti compos percipies: Mane factõ cum familiari cuidam suo visionem retulisset, ille sapienter rem conijciens: Macula, inquit, hæc vestis tuæ illita nihil aliud est pater, vt æstimo, quàm memoria iniuriæ ciuũ tuorum, qui te anno superiore Colonia expulerunt, quibus te diuinæ pietatis respectu iam olim oportuerat admissi huius veniã dedisse. Hæc, quod bona veniã dixerim, pectori tuo tenacius, quàm equum sit insidens, & amarissimo mœrore contra fas mentem tuam decoquens, cæteram sanctissimæ conuersationis tuæ claritatem molesta quadam caligine obducit & obscurat.

Archiepiscopus conscientia sua testimonio conuictus, ne inficiaretur quod audiebat, reatum suum humiliter agnouit, statimque destinatis circumquaq; nunciis, ciues omnes  
 Colonie,



Colonia, quos in ultionē iniuriæ suæ excom-  
 municatos vrbe fugauerat, ad se euocauit, eis-  
 que proxima festiuitate Paschali, nam in Qua-  
 dragesima visionem viderat, non solum com-  
 munionem Ecclesiasticam, sed etiam bona sua  
 omnia, quæ direpta fuerant, benignissimè re-  
 stituit. Sic grauis illa tempestas, quæ spiritu dia-  
 bolico suscitata totam cōcusserrat Coloniam,  
 conqueuit, pater filios, filij patrem recogno-  
 uerunt. Archiepiscopus amaritudine, populus  
 metu & sollicitudine, ciuitas liberata est soli-  
 citudine. Archiepiscopus iam à principio se-  
 pulchram sibi prouiderat Colonia in Ecclesia  
 beatæ Mariæ, quæ dicitur ad gradus, Postmo-  
 dum offensus temeritate Colonienſium, qua-  
 in eum inaudita rabie debacchati fuerant, non  
 modo animum, sed corpus quoque suum de  
 Colonia in Sigeburg transferendum censuit,  
 ibique sepeliri omni modo definiuit. Cumq;  
 appropinquante die vocationis suæ, Colonia  
 ægrotaret, iamque in extremo spiritu consti-  
 tutus, animaduerneret populum Coloniensem  
 grauius nimis ferre, quod tā desiderabilis the-  
 lauro defraudatus esset, paululum resumpto  
 spiritu in lecto cōsedit, acceptaque stola pon-  
 tificali, vt videlicet verbis inesset plus autho-  
 ritatis, familiares suos sub testificatione no-  
 minis diuini adiurauit, ne alibi eum quàm in  
 Sigeburg poni sinerent. Factum est ergo quod  
 iusserat, Defunctus enim post modicum glo-  
 ria



ria ingēti, magno Cleri & plebis studiosissimo matronarum Colonienſium luētū in Sigeberg delatus, atque in medio Eccleſiæ ſepultus eſt, vbi quotidie per eius interuentum fideliter poſtulantibus multa præſtantur diuinæ opitulationis beneficia.

*Gregor. Turon. lib. 7. cap. 1. hiftoriæ Francorum. De Saluio Epifcopo defuncto, ad celos deducto, corporique ruruſum reſtituto, de que eius doctriina & virtutibus.*

## CAP. XXXVII

**S**aluius Epifcopus, vt ipſe referre erat ſolitus, diu in habitu ſæculari commoratus, cū iudicibus ſæculi mūdiales cauſas eſt exſecutus, nunquam tamen ſe in his concupiſcentiis obligans, quibus adoleſcētum animus ſolitus eſt implicari. Iam cum diuini ſpiramēti odor interna viſcerū attigifſet, intellexitque vir iam tūc diuinitati deditus, melius eſſe vti paupertate cum Dei timore, quā ſæculi percuntis lucra ſectari, in quodam monaſterio diu ſub regula à patribus inſtituta verſatus eſt. Iam vero cū in robore maiori tā intellectus quā ſtatis euectus eſſet, defuncto Abbate, qui huic monaſterio præerat, alendi gregis ſuſcipit officium. Et qui ſe magis fratribus publicū pro correctione reddere debuerat, ſit aſſumpto honore remotior, illic ſibi ſecretiorem cellulam quærit. Nam in priore, vt ipſe adſerebat, amplius quā nouem vicibus nimia exelus abſtinere



abſtinentia, pellem corporis demutauit, deinde accepto honore, cum in hac contētius parſimonię, orationi & lectioni vacaret, illud plerunque reuoluebat, melius ſibi fieri, ſi eſſet, inter monachos occultus, quàm nomen accepit Abbatis in populos. Quid plura? Includitur, ualedicens fratribus, ſibi que ipſis ualedicentibus: in qua inſiſione in omni abſtinentia magis quàm prius egerat, commoratur: ſtudens pro charitatis obſequio, ut cum quiſque veniſſet extraneus, & orationē tribueret, Eulogias gratia pleniffima miniſtraret, quę multis infirmis plerunque ſalutem integram detulerunt. Quodam autem tempore, febre nimia exhaustus, anhelus iacebat in lectulo. Et ecce ſubito magno lumine cellula clarificata contremuit. At ille extenſis ad cælum manibus, cum gratiarum actione, ſpiritum exhalauit. Mixto quoque ululatu monachi, cum ipſius genitricę corpus deſuncti extrahunt, aqua diluunt, veſtimentis induunt, & feretro ſuperponunt, atque in pſallentio ſtetuque labentem exigūt noctem. Mane autem facto funeris officio præparato, corpus moueri cœpit in feretro. Et ecce malis ruſcentibus vir quaſi de graui ſomno ſuſcitatus excutitur, apertisque oculis & manibus eleuatis, ait; O Domine miſericors, quid feciſti mihi, ut me in hunc tenebroſum mundanę habitacionis locum redire permitteres, cum mihi melior



lior esset in cælo tua misericordia, quàm istius  
 mundi vita nequissima? Stupentibus autem  
 suis, & interrogantibus, quid fuerit tale pro-  
 digium, nihil interrogantibus ille respondit.  
 Surgens autem de feretro, nihil mali sentiens  
 de incommodo quo laborauerat, triduo abs-  
 que cibi & poculi perstitit alimento. Die au-  
 tem tertio conuocatis monachis & matre, ait:  
 Audite ô dilectissimi, & intelligite, quia nihil  
 est quod cernitis in hoc mundo: Sed sunt iux-  
 ta id quod Salomon propheta cecinit: Omnia  
 vanitas: felix enim est, qui ea agere potest in  
 sæculo, vt gloriam Dei cernere mereatur in  
 cælo. Et cum hæc diceret, dubitare cœpit, y-  
 trum loqueretur amplius, an siletet. Quo ta-  
 cente implicitus fratrum precibus, vt quid vi-  
 disse, exponeret, ait: Cum me ante hos quat-  
 tuor dies contremiscente cellula exanimem  
 vidistis, apprehensus à duobus angelis in cæ-  
 lorum excelsa sublatus sum, ira vt non solum  
 hoc squalidum sæculum, verumetiam Solem  
 ac Lunam, nubes & sydera sub pedibus haberi  
 putarem: deinde per portam luce ista clario-  
 rem introductus sum in illud habitaculum, in  
 quo omne pauimentum erat quasi aurum ar-  
 gentumque retinens, lux ineffabilis, amplitu-  
 do inenarrabilis, quam ita multitudo promi-  
 scui sexus obtexerat, vt longitudo ac latitudo  
 cateruæ prius peruiideri non possit. Cumq[ue]  
 nobis via inter comprimentes ab his qui præ-  
 cede



## LIBER VIII.

96

cedebant, angelis pararetur, peruenimus ad  
 locum, quem iam de longinquo contempla-  
 bamur: in quo superpedebat nubes omni lu-  
 cidior, in quo non sol, non luna, non astra  
 cerni poterat, sed super his omnibus naturali  
 luce splendidius effulgebat. Et vox præcede-  
 bat de nube, tanquam vox aquarum multa-  
 rum. Ibi etiam me peccatorem salutabant hu-  
 militer viri in veste sacerdotali ac seculari,  
 quos mihi, qui præcedebant, enarrauerunt esse  
 martyres ac confessores, quos hic summo  
 excolimus famulatu. Stans igitur in loco, in  
 quo iussus sum, operuit me odor nimis suavi-  
 tatis, ita ut hæc suauitate refectus, nullum adhuc  
 cibum potumque desiderem. Et audiui vocem di-  
 centem; Reuertarur hic in sæculum, quoniam  
 necessarius est ecclesiis nostris. Vox enim au-  
 diebatur, nã qui loqueretur, penitus cerni non  
 poterat. Ego prostratus super pavementum cum fletu  
 dicebam: Heu heu Domine, cur mihi hæc ostē-  
 disti, si his frustrandus eram? Ecce hodie eiicis  
 me a facie tua, ut reuertar ad sæculum fragile,  
 & huc ultra redire non valeam. Ne queso Domi-  
 ne auferas misericordiam tuam a me, sed depre-  
 cor ut permittas me hic habitare, ne illuc deci-  
 dens peream. Et ait vox, quæ loquebatur mihi;  
 Vade in pace, ego enim sum custos tuus, do-  
 nec reducam te in hunc locum. Tunc relictos a  
 comitibus meis descendens cum fletu, per portam,  
 qua ingressus fueram, huc sum regressus. Hæc

S

60



eo loquente, stupentibus cunctis qui aderant  
 cœpit iterū sanctus Dei cum lachrymis dicere:  
 Væ mihi, quia tale mysteriū ausus sum reue-  
 lare. Ecce enim odor suauitatis, quem de loco  
 sancto hauseram, & in quo per hoc triduum  
 sine vlllo cibo potuq; sustentatus sum, recessit  
 à me. Sed & lingua mea grauibus est ioperta  
 vulneribus, & ita tumefacta, vt omne os meū  
 videatur implere. Et scio, quia nō fuit benepla-  
 citū domino Deo meo, vt hæc arcana vulgarē-  
 tur. Sed tu nosti Domine, quia in simplicitate  
 cordis hæc feci, non in iactantia mentis. Sed  
 quæso indulgeas, & non me derelinquas  
 iuxta pōllicitationem tuam. Et hæc dicens  
 siluit, & accepit cibum potumque. Ego verò  
 hæc scribens, vereor ne alicui legenti sit incre-  
 dibile, iuxta id quod Salustius historiam scri-  
 bens ait, vbi de virtute atq; gloria bonorum  
 memor est: Quæ sibi quisq; facilia factu putat,  
 æquo animo accipit: supra ea veluti ficta pro-  
 falsis ducit. Nam testor Deum omnipotentē,  
 quia ab ipsius ore omnia quæ retuli, audita co-  
 gnoui. Post multum verò temporis ipse vir  
 beatus cellula sua extractus, ad Episcopatum  
 electus inuitus est ordinatus: in quo, vt opi-  
 nor, decimum annum cum ageret, inualescen-  
 te apud Albigensem urbem inguinario mor-  
 bo, & maxima iam parte de populo illo defun-  
 cta, cū iam pauci de ciuibus remanerēt, vir bea-  
 tus tanquam bonus pastor, nunquam ab illo  
 loco



loco recedere voluit, sed semper hortabatur eos, qui relictī erant, orationi incumbere, ac vigiliis instanter insistere: & bona semper tam in operibus, quā in cogitatione versare, dicens. Hęc agite, vt si vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, non in iudicium, sed in requiem introire possitis. Cū autem, vt credo, iam reuelante Domino, tempus suę vocatiōnis agnosceret, ipse sibi sarcophagum composuit, corpus abluit, vestem induit: & sic intantum semper cęlo beatum spiritum exhalauit. Fuit autē magnę sanctitatis minimęque cupiditatis, aurum nunquam habere volēs: nam si coactus accepisset, protinus pauperibus erogabat. Cuius tempore cum Mummulus patritius multos captiuos ab ea vrbe duxisset, profecutus ille omnes redemit. Tantamque ei Dominus gratiam cum populo illo tribuit, vt ipsi etiam, qui captiuos duxerant, & de precio ei concederēt, & in reliquo numerarent, & sic gratiæ suę captiuos libertati pristinę restaurauit: Multaque de hoc viro bona audiui: sed dū ad historię cęptū reuerti cupio, plurima pretermitto. Hęc ibi Gregor. Turon. Diligēter autem in hac historia notanda sunt verba huius beatissimi Saluij, quibus ait: Nihil esse quod cernimus in hoc mundo, sed omnia merā esse vanitatem: felicem verò illum, qui sic agat in sæculo, vt gloriā Dei cernere mereatur in cęlo. Non dissimilē historiā refert Vener. Beda



968 COLLATION. SACRAR.

de S. Furseo, (lib 3. cap. 19. histor. Anglic.) qui cū  
 acerrimas dæmonū accusationes sustinuisset,  
 tormenta quoque malorū, & gaudia beatorū  
 conspexisset, diuino iussu huic vitæ restitutus,  
 ingemiscens deplorabat magnitudinē huma-  
 næ stultitiæ, arduumque & difficilem transi-  
 tum, immensamq; felicitatem remuneratio-  
 nis peruenientium ad beatas sedes. Hæc si cre-  
 bro considerarent homines, si iuxta Propheta,  
 saperent & intelligerēt, ac nouissima provide-  
 rent, non tam cæco amore caducis momēta-  
 neisque huius mundi illecebris inhiarēt. Non  
 ineptè olim preposteris hominū cogitationes  
 & studia risit Satyricus, O curas hominum, o  
 quantum est in rebus inane. Aptissimè verò do-  
 ctissimus ille ac piensissimus Adamus. O pter-  
 nitas, inquit, quam rarò versaris in mentibus  
 hominum. Et idem alibi, Nihil ad superbiam, &  
 cupiditatis vitiorumque omniū euersionem  
 æquè facit, vt meditatio mortis, & eorum que  
 mortem sequitur. Et quemadmodum nemo  
 quis gehennam ob oculos habet, gehennam in-  
 cidere, ita nemo qui gehennam è mente se po-  
 nit, gehennam euadere poterit. Insuauis qui-  
 dem hæc est meditatio, inquit, sed quid tum?  
 Etenim & pharmaca insuauia sunt, non tamē  
 abhorremus, eò quòd utilitatem adferant.

D. Greg. Mag. lib. 4. Dialo. cap. 14. & homilia 15. in  
 Euang. De felici transitu seruuli Paralytici, eius elec-  
 mosynis & patientia, & fragrantissimo odore in  
 morte eius. CAL.



**I**N porticu, quæ euntibus ad Ecclesiam B. Clementis est peruia, fuit quidam seruus nomine, quem multi vestrum mecum noverunt, rebus pauper, meritis diues, quem longa egritudo dissoluerat. Nam à primæua ætate vsque ad finem, vitæ paralyticus iacebat, quid dicam? quia stare non poterat, qui nunquam in lecto suo surgere vel ad sedendum valebar, nunquã manum suam ad os ducere, nunquã se potuit in latus aliud declinare. Huic ad seruiendum mater cum fratre aderat, & quicquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc eorum manibus pauperibus erogabat. Nequaquam literas nouerat, sed scripturæ sacræ sibi codices emerat, & religiosos quosq; in hospitalitatem suscipiēs, horas eorã legere sine intermissione faciebat. Factumq; est vt quantum ad mensurã propriã attinet, plenè sacram scripturam disceret, cum, sicut dixit, literas penitus ignoraret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Deo & laudibus diebus ac noctibus vacare. Sed cum iam tempus esset, vt tanta eius patientia remunerari debuisset, membrorum dolor ad vitalia redijt. Cumque iam se morti proximum agnouit, peregrinos viros atq; in hospitalitate susceptos admonuit vt surgent, & cum eo Psalmos pro expectatione exitus sui decantarent. Cumque cum eis & ipse moriens psalleret, voces psallentium repente



compescuit, cum terrore magni clamoris dicens; Tacete, nunquid non auditis quantæ resonant laudes in cælo? Cumque ad easdem laudes, quas intus audierat, aurē eordis intenderet, sancta illa anima carne soluta est. Sed exeunte illa, tanta illic fragrantia odoris adpersa est, ut omnes illi qui aderant, inestimabili suauitate replerentur: ita ut per hoc patenter agnoscerent, quod eam laude quas audierat, in cælo suscepissent. Cui rei monachus noster interfuit, qui nunc vsq; viuit, & cum magno fletu attestari solet, quia quousq; corpus eius sepulturæ traderent, ab eorum naribus odoris illius fragrantia non recessit. Ecce quo sine ex hac vita migravit, qui in hac vita equanimiter flagella tolerauit. Iuxta vocem ergo Dominicam, bona terra fructum per patientiam reddidit, quæ exarata discipline vomere, ad remunerationis segetem peruenit.

*Ex libro trium spiritualium virorum Libellus Fratrum sancti Vincentij Metensis. De admirabili visione Vguetini quondam Canonici.*

## CAP. XXXIX.

**V**isio Vguetini prius Canonici, postea monachi; quam ostendit illi Deus per Angelum, & quam nos fratres eius ipso narrante scripsimus, serui sancti Vincentij Metensis. Cum prædictus frater die sabbati cum aliquibus fratribus nostris portionem ad providendam salutem corporis accepisset: cæteris cam



eam salubriter digerētib; ipse cepit magna difficultate indigestam reiicere, statim perceptionem cibi, quem ad refocillandum corpus sumere debuerat, fastidire. Crastina verò, id est, dominica illucescēte die lenius quidem habuit, & cum cæteris quos ad prouidendas cæteras corporales necessitates sibi sociauerat, corpus refecit, sed in tædio prædicti fastidij perdurauit, nullo tamen modo vitæ corporalis discrimē ob hoc se passurum esse existimauit: quia ad spem præsentis vitæ refectio secundæ & tertiæ feriæ deerescente fastidio in nullo iam diffidente animauerat. Feriâ verò tertia incipiente crepusculo vespertino, con-sedentibus sibi ad refectionem fratribus, dixit se ibidem cum eis finem refectiois expectare non posse. Sed interim illis cœnantibus in aliam cellulam illi cellulæ contiguam, tantum parietis vnus interpositione remotam, stramentum lectuli sui fecit efferi de loco refectiois prædictæ, vt ibidem quiescendo præstolaretur finem refectiois eorum: & suam iterum regressionē ad lectuli sui locum. Membris ergo in lectulo compositis, oculis tantum clausis, & nondum in somnum (vt ipse fatebatur) resolutis: venit malignus spiritus effigiem prætendens clerici, in tanta deformitate & tætra & tenebrosa facie, vt nec signa oculorum in eo apparerent, ferens in manibus diuersa tormentorum genera in tantum gratulabun-



dus adstans capiti eius, quasi crastino eū esset  
 torturus: illo ergo tantis terroribus minante,  
 subito apparuit caterua spirituum maligno-  
 rum, totum cellulæ ipsius spatium intrās, cum  
 scutis & lanceolis ex omni parte circumfusa,  
 ædificium quoddam facturi, in modum arma-  
 ritorum Halicorum præfiguratum ad inclusio-  
 nem eius. In tanto ergo horrore & tam terri-  
 bili terrore circumvallatus frater prædictus, &  
 in tantum anxius factus, ut iam spem euade-  
 di nullatenus haberet: Ecce subito adfuit diui-  
 na miseratio, nam statim in eadem cella appa-  
 zuerunt viri magnifici & vultu honorabiles  
 sub monachico habitu in scamnis sedentes:  
 quorum vnus in medio eorum residens dixit  
 hæc his verbis, quæ hic scripta sunt (ut ipse  
 scribit) Non est æquum, ut hi inutiles tanta  
 faciant; nam homo paulatim iubete istos rece-  
 dere. Post cuius vocem, conuentus malignorū  
 spirituum euauit & recessit. Immensitate  
 tanti terroris sublata: venit angelus in-  
 credibili splendens pulchritudine, & veste pur-  
 purea circumdatus stans ad pedes eius, amica-  
 bili eum compellans sermone: Ad te (inquit)  
 venio dulcissima anima. Cui idem frater lati-  
 nè respondit: Si Dominus meus peccatis meis  
 ignosceret, misericordiam mecum ageret: si  
 autem, in manu eius sumus: faciat quod sibi  
 videtur, nam Patriarchæ, Prophetæ, & Apo-  
 stoli, omnisq; dignitas cælestis siue terrestris, pro



pro humano genere laborant, & vos modo magis laborare debetis: quia his temporibus fragiliores sumus. Tali sermone angeli & prædicti fratris: finita est prima visio, quam ipsis verbis adinuicem collatis, eo referente scribi fecimus, nihil inde aut adimentes, aut de nostro adijcientes, nos qui hæc scripto commendauimus. Expergefactus idem frater: resedit, & circumspiciens si quis ei adesset, inuenit duos, Præpositum ipsius monasterij & alterum fratrem, ad solatium eius delictos, & ceteris post cœnam ad repausandum iam dimissis. Iphis ergo vocatis exposuit eis omnia per ordinem, quæ in tam augusto sibi temporis articulo ostensa fuerant: iuxta quod hic scripta tenentur, in tantum adhuc præscriptæ visionis horrore tremebundus, ut totius corporalis molestiæ grauedinem oblitus, intolerabili æstu timoris vexaretur. In ipsa ergo immensitate timoris anxius, proruit in terram coram ipsis fratribus, distenso toto corpore in crueis modum, & postulauit ut omni virtute qua possent, pro peccatis eius intercederent. Illo ergo sic prostrato, ceperunt prædicti fratres tam septem psalmos poenitentiales, quam ceteros tantæ anxietati aptos, qui sibi ad memoriam recurrerent, pro eo decantare. His ergo finitis, surrexit & resedit in lectulo, postulans dialogum B. Gregorij sibi legi. Præcipua ergo vltimi libri eiusdem dialogi audiente eo: lecta

Sf 3

sunt



974 COLLATION. SACRAR.

sunt vsque ad summam nouem aut decem fo-  
liorum. Finita erga lectione hortatus prædi-  
ctos fratres, vt lassitudinem, quam pro eo vigi-  
lando contraxerant, quiete corporum tempe-  
rarent, sibiq; paululum noctis spatium quod  
superfuerat, ad repausandū inducias concede-  
rent. Illis ergo recedentibus, & in parte illius  
cellæ corporibus ad quiescendum collocatis,  
ipse etiam post tantam lassitudinem tam ani-  
mæ quàm corporis in somnium resolutus: ve-  
nit idem angelus, qui ei in priore visione ad-  
pedes stans præperatus apparuit, candidis  
amictus vestimentis ad caput stans, splendore  
incredibile fulgidus, eumque blandis allo-  
quens sermonibus, laudauit confugium eius:  
quod ad Deum in angustijs positus: tam stu-  
dio Psalmodiæ quàm lectionis fecerat, hor-  
tans eum de cætero sine defectu, similiter fa-  
cturum, inter ceteros etiam Psalmum 118. qui  
moralis in eo describitur virtus: sæpè repeten-  
dum admonuit, seque valdè delectari, cum ali-  
quem instantia lectionis & iteratione psalmo-  
diæ intentum viderit, Deumque ob hoc pla-  
cibilem fieri posse: si vsus iste veraciter & non  
fictè teneatur. His igitur dictis, assumpsit eum  
immensa præclaram, in qua dum pergerent,  
ostendit eis montes vastæ altitudinis, & incre-  
dibilis pulchritudinis: qui quasi marmorci vi-  
debantur, quos circuibat maximus fluuius ig-  
neus:



neus: in quo innumerabilis multitudo dānatorum pœnaliter in clausa tenebatur, quorum multos se agnouisse dicebat, & in ceteris locis innumeris tormentis diuersi generis cruciatus se adspexisse: in quibus plurimos tā minoris quā maioris ordinis sacerdotij stantes dorso stipitibus inhaerentes, in igne strictè loris ligatos viderat. Ipsas quoque fœminas ab eis stupratas: consimili modo constrictas ante eos in eodem igne vsque ad loca genitalium diuersas, dictumque est ei ab Angelo: quod sine intermissione, vno tantum die intermisso, die tertio semper in locis genitalibus magnis caderentur, plures eorum suæ agnitioni notos dicebat. Sacerdotum (inquit angelus) maxima pars mundanis lucris inhians, & palatinis curis inserviando, cultu vestium, & pompa ferculorum se extollendo, quæstum putantes esse pietatem, animabus lucrands non inuigilant, deliciis affluentes in scorta prorūpunt: & ita euenit, vt nec sibi, nec aliis intercessores esse possint. Sæculo enim pestilentia & fame laboranti, sua prece succurrere potuissent, si Deo lucrum tota virtute conferre voluissent, & ideo tali remuneratione in fine damnantur, quia precedentibus meritis talia patiuntur. Ibi se etiam quoddā opus in castelli modum, ligno & lapide valdè inordinatè coniecto & fuligine deformi vidisse narrabat: fumo ex eo in altum vaporante. Cui interroganti



ti quid esset: responsum est ab angelo, habita-  
 tionem fuisse quorundam monachorum ad  
 suam purgationem de diuersis locis & regio-  
 nibus in vnum congregatis, qui de eorum nu-  
 mero vnum specialiter nominauit: quem di-  
 cit ibidem arca plumbea inclusum praestolari  
 debere diem magni iudicii, propter opus pe-  
 culiare, quod in Anania & Saphira ad corri-  
 pendam communis vitæ integritatem præces-  
 serat, de quo fratre damnabiliter incluso cui-  
 dam peregrino in extremitate vitæ per exce-  
 sum raptò, ante decennij tempus ostensum  
 fuerat: sicut tunc fama vulgauerat. Iam que diu  
 obliteratum obliuione fuerat: isto fratre hæc  
 antè minimè audiente, & ad memoriam ean-  
 dem causam simili visione reuocante. Vnde  
 apparet in vna re bina iteratione repetita, hoc  
 quod malè pullulat, crebrius succidi debere,  
 ne iis qui monachorum minimè censentur,  
 opus perculiare ibidè, vertatur in plumbi gra-  
 uedinem. Ibi etiã ostensa est ei quædam mon-  
 tis altitudo: & dictum est ei ab angelo de quo-  
 dam Abbate ante defuncto, quod in summita-  
 te eius esset ad purgationem suam deputatus,  
 non ad damnationem perpetuam. Ibidemque  
 cum omnem inclementiam aeris, & ventorū  
 incommoditatem, imbriumque pati. Adiu-  
 nitque idem angelus de eo: quod Episcopus  
 nuper defunctus ipsi Abbati solatio precum  
 suarum ad impetrandam veniam subuenire  
 debuisset.



debuisset, sicut ei in visione apparens per quendam eius clericum mandauerat, præscriptus verò Episcopus hoc negligenter pertractans: charitatis ardore non condoluit, ut ei succurreret. Et idcirco nec sibi iam, ait, subuenire poterit. Et ubi est, inquit, ille? Ecce ait: ex altera parte ipsius montis, suæ damnationis poenas luit. De visione verò quam paucis prælibauimus: ab ipso qui hæc ante triennium viderat, audiuius. Veni inquit, in quoddam habitaculum ambitu parietum destitutum, in quo idem Abbas tibijs residens cruentatis vocauit me: Vade, inquit, ad Episcopum, & dic ei, quod præsens mansio mihi & alij data conubernali meo, propter hoc sorduit: quia duobus hic comitibus in thermis se lauâibus factor inde cõsurgens, penè eam nobis inhabitabilem reddidit: & idem quomodocunq; collectis vndique sumptibus patentia claudat. Quod si per se sumptus ad concludendum ea non habueris, legationem dirigat ad monasteria denominata, inde solatiis gratanter administratis, supplebuntur omnia clausuræ huic necessaria. Quod audiens Episcopus: Deliramenta, inquit, somniorum non sunt attendenda, sed ipsa eadem angelus in præsentis visione remouit: quod Episcopus solatia precum suarum etiam à mortuis conuentus non subministravit. Ipsi verò fratri, qui hæc de inferis ad superos reportabat, præscitum ante nõ fuerat.



Illic etiam quendam principem, qui Italiae & populi Romani scepra quondam rexerat vidisse stantem dixerat, & verenda eius cuiusdam animalis morsus laniauit: reliquo corpore immuni ab hac læsione manente, stupore igitur vehementi attonitus: admirabatur quomodo tantus vir, qui in defensione Catholica fidei, & regimine sanctæ Ecclesiæ in præsentis sæculo penè inter cæteros singularis apparuit, puniti tanta deformitate poenæ potuisset. Cui ab angelo ductore suo protinus responsum est, quod quamuis multa miranda, & laudabilia, & Deo accepta fuisset, quorum mercede priuandus non est: tamen stupri illecebris resolutus, sperare visus est, quod ista obscenitas mole tatorum bonorum obrui & absorbi potuisset. Qui tamen, inquit, in sorte electorum ad vitam prædestinatus est. Illic etiam dona prima exquisita & innumerabilia pompaticè à malignis spiritibus ad perferendum viderat in palliis & vasis aureis & argenteis, equis & linteaminum subtilitate candentibus. Interrogante autem eo cuius hæc essent, & quid in præfiguratione sua prætenderent, Comitum (inquit angelus) diuersarum provinciarum iura regentium sunt hæc: vt huc venientes, ea inueniant, & sciant: quia minoribus rapinis & avaritia cõgesta sunt. Quorum aliquos nominatim exprimens, dixit, ea nunquam defutura aut delenda priusquam ipsi veniant, &



ea in sinum suum recipere. Quàm terribilem verò sententiam de conuersatione Comitum intulerit, quis enarrare sufficiat: cū quosdam eorum non vindices criminum esse dixerit, sed vice diaboli persecutores hominum, iustos damnando, & reos iustificando, furibus & sceleratis communicando. Munerum, inquit, praeventione creati: pro mercede futurorum nihil agunt: sed cum mundanas leges pro coercenda mali audacia administrant: damna legalia quae debitoribus infligunt, absque vlla misericordia quasi iure sibi debita, suae auaritia reponunt: iustitiam verò spe futurorum nunquam agunt: sed cum eam gratis offerre omnibus pro aeternitatis mercede debeant, semper eam venalem sicut & animam suam portant. Quosdam enim iam iudicatos nominatim dixerat: sicut Euangelium de incredulis loquitur: Qui autem non credit, inquit, iam iudicatus est. Innumerabiles etiam se vidisse retulit tam de plebeio, quàm de ordine monachico diuersorum coenobiorum & regionum, aliquos in gloria, quosdam in poena depressos. His ergo & cæteris innumerabilibus conscriptis, quae causa compendij stilo eurrente conclusimus: duxit eum ab loco pulcherrimâ naturali cōstructione fundata, cum arcibus quasi aureis & argenteis, opere anaglypho discreta. Quae tanta magnitudine & altitudine etiam & pulchritudine incredibili clarrunt:



## 980 COLLATION. SACRAR.

uerunt: vt ne mente concipi, nec ore humano proferri tanti immensitas operis possit. Tunc processit rex regum, & Dominus dominantium in multitudine sanctorum, tāta gloria, & maiestate fulgidus: vt homo corporeis oculis iubar tanti luminis: & dignitatem gloria sanctorum, quæ ibidem apparuit, sustinere nequiret. Tūc ipse angelus, qui eius ductor & ostensor fuerat, dicit ad eum: Crastina die migrare debebas: sed interim certamus pro misericordia. Tunc præeunte angelo, perrexit vbi confessus sanctorum sacerdotum in gloria & dignitate inestimabili fulgebat. Tunc dicit ei: Sunt apud Deum meritis bonorum operum coronati: quibus vos officia Ecclesiastica impenditis. Rogemus ergo illos, vt tibi misericordiam apud Deum impetrent. His dictis supplices sanctis, orabant eos, intercessores fieri. Sancti verò sacerdotes sine mora surgentes perrexerunt ad thronum: & prostrati ante thronum misericordiam postulabāt prædicto fratri. Ille verò angelus cum eodem fratre, illis intercedentibus, de longe in parte stetit. Quibus ante thronum suppliciter pro misericordia postulantis vox de throno audita est in responsum. Exempla adificationis aliis facere debuit; sed non fecit. Nihilque amplius in responsis auditum est in illo. Ergo in tam præclaro ordine sacerdotum, sanctos Dionysium, Martinum, Anianum, Hilariumque



se cognouisse asseruit. Tunc iterum cohortate Angelo, simul perrexerunt, ubi beatorum multitudo innumerabilis, æstimabili gloria fulgebatur. Isti sunt, ait, quos gloriosus certaminis triumphus, ad tantam gloriam petuexit, quos vos in Ecclesia honore excolitis, ad honorem laudemque Dei, quos intercessores pro venia peccatorum tuorum requirere debemus. Quos cum simili supplicatione humi prostratos cernerent, statim sine vlla dilatione ad thronum diuinæ maiestatis tendentes, prostrati pro indulgentia peccatorum eius poposcerunt. Quibus à throno, vox ut ante, emissa est, dicens: Si eos, quos malè docendo exemplo suæ prauitatis illexerat, & à via veritatis in viam erroris deprauando eos deduxerat, corripuit, & ad viam veritatis reduxit: remissa sunt. Illis autem, interrogantibus, quomodo hæc correctio ab eo fieri posset, ut ad remissionem postulatam peruenire posset: iterum vox de throno est ad eos facta: Cõuocet, inquit, omnes, quos sui exemplo vel doctrina ad illicita agenda illaqueauerat, & prosternet se ante eos, ac profiteatur se malè egisse & docuisse, & postulet veniam, ipsosque roget per Deum omnipotentem & sanctos omnes, ut hæc mala ulterius nec agant, nec doceant. Illis interim in parte de longèstantibus: sicut in priori sacerdotum intercessione, inter quos sanctos Sebastianum & Valentinum cognouisse se dicebat. Inde ergo  
angelo



## 382 COLLATION. SACRAR.

angelo producente, tendentes ad locum, in quo innumerabilis sanctorum virginum multitudo morabatur: incomparabili dignitate & splendore corusci luminis fulgens. Hæ, inquit, sunt, sanctæ scemina, quibus vos famularum Ecclesiasticum ad honorem nominis Christi impenditis, quas ad intercessionem apud Deum pro longiori vita præmittere debemus. His dictis (vt ante) prostrauerunt se ante eas. Illæ vero statim cum omni festinatione ad thronum tendebant: prorogationem vitæ eius postulare, ipsis interim (vt prius) in parte stantibus. Antequam verò ad preces solo profterneretur, apparuit maiestas Domini obuiam, & eleuans, dixit eis: Si bona doceat, & exempla bona agat, & eos quibus mala exempla præbuit, corrigat, erit petitio vestra. Post hæc inde recedentes, cœpit ei angelus exponere, in quantis vitiorum sordibus volutatur genus humanum. Licet enim in diuersas criminum innumerositates ab auctore suo recedant homines, diabolo se mancipando, in nullo tamē magis Deus offenditur, quàm cum contra naturam peccatur. Et idèd multa vigilantia certandum est omnibus in locis, ne scelere Sodomitico Dei habitaculum vertatur in delubra demonum: non solum enim, inquit, hic morbus virulenta contagione irrepens, inficit animas inter se concubitu masculorum pollutas, sed etiam in coniugatis multiplici peste concreta inueni-



inuenitur. Dum in rabiem vexatione libidin-  
nis versi, & instinctu dæmonum agitati: natu-  
ræ bonum à Deo concessum, in vxoribus pro-  
priis perdunt. Ita vt thoro immaculato in stu-  
pri maculam verso, ambo prostituti dæmoni-  
bus fiant. Vndè præcipio tibi ex autoritate  
diuina, vt hæc publicè prædices, etiam quan-  
tum discrimen in luxu concubinarum hæreat:  
non celes, quam diu in illa obscœnitate pol-  
luuntur, regni cælorum aditu priuantur. Cui  
ait: Domine, hæc in medium proferre non au-  
deo: quia propter vilitatem meæ personæ, ad  
hoc me aptum nō sentio. Cui angelus magna  
indignatione respondit, quod Deus vult, &  
per me iubet tibi, tu non audes proferre: Post  
hæc cœpit eum admonere modo diuerso, de  
emendatione eius. Ego (inquit angelus) ad cu-  
stodiam tui deputatus sum, qui quōdam Sam-  
soni illi, quem liber ludicum describit, ab eius  
ortu à Deo sum ordinatus, & in omni conatu  
operum mirandorum Deo adspirante coope-  
rator illi exstiti, vsque dum carnis illecebris e-  
mollitus, in Dalida Dei offensam incurres, &  
consecrationem suam scorto vendens, à Deo  
est derelictus, tunc autem recessi ab eo. Tu er-  
gò in pueritia tua mihi placuisti: Nunc verò  
in mœrore & pœnitudine cordis ad Deū con-  
uersus, ita iterum places. In cœnobiis etenim  
monachorum admonendum est: vt viciorum  
radicibus arefactis, virtutum possint germina  
pullu-



pullulare, quia maioris numeri frequentia reperitur eorum, qui mundanis necessitatibus, quam spiritu Dei acti, ad hæc spiritualia castra se conferant. Animalis enim homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei, & ided certadum est totis viribus, ne multitudine carnalium tepescat vita spiritualium, ne abundante iniquitate, refrigescat charitas multorum. Caveatur avaritia, qua dominante, ad paupertatem spiritus non descenditur, qua celorum aditus obferatur. Ciborum & potus ingluvies, vertatur in vix sufficientem necessitatem victus. A qua, inquit, valdè ad potadum utilis est: quia naturalis potus est. Nitor vestiũ mutetur in necessarium arcendæ nuditatis & frigoris temperamentum. Superbig timor, mutandus est in humilitatem non fictam. In quibusdam enim videtur cervicis inflexio, sed nõ deponitur in cordis erectio. In hoc enim maxima ipsa vita Apostolici ordinis cõfunditur: quod virtutes viciis suffocatur. Et dum culpa, quæ sub specie pietatis intrauit, in vfu retineturiam quasi pro lege rectè viuendi defenditur. Ideoq; in occiduis regionibus, Germaniæ videlicet & Galliæ istius ordinis homines, vt ad veram Christi humilitatem, & voluntariam paupertatem informentur, monèdi sunt: ne à ianua vitæ, Deo per me hæc terribiliter pronuciante, repellantur. Quanta etiam in congregationibus sceminarum culpa excreuerit, & damnum Deo factum



in lucrum diaboli profecerit ordinatione confusa, non tacuit. Cum enim (inquit angelus) mortuæ sceminae viuis præferuntur, (quia vidua in deliciis viuens mortua est) mortis operibus communicando: ex ipsis viuis subiectis mortuæ fiunt. Et dum sæcularibus donantur, inexplebiliter opes terrenas sitientes: & terrenas & perituras voluptates ordine cõfuso vertuntur opes, quæ ad conseruandam castimoniam cælestis vitæ à fidelibus congestæ sunt. Et vbi, inquit, illius vitæ Apostolicæ formula incorrupta conseruatur? In transmarinis ait regionibus, adhuc Apostolici rigoris constantia viget. Quia paupertate spiritus præuenti, sine illius terreni impedimenti obstaculo exlorã regna capessunt. His dictis, iterum atque iterum de scelere Sodomitico verbum intulit. Cætera enim vitia vitanda semel tantummodo notauit. Hunc verè pestiferum animæ morbum cõtra naturam, commento diaboli suggestum, quinquies & etiam amplius repetiuit. Interrogante autem eo: cur pestilentia grassante, tanta populi numerositas interiret? Imensitate, ait, criminum mundo peccante, peccatorum puniatio est. Et signum a Domino est denunciatum: prælagio suo demonstrans, mundi terminum citò venturum. Admonuit etiã inter cætera: quod celebritas operis Dei, tædij aut negligentiæ subreptione in ecclesiis ageretur. De Geroldo verò quodam comite dixit idem Angelus

lyss



986 COLLATION. SACRAR.

lus: quod in requie esset glorię martyrũ ad-  
 quatus, zelo inquiēs Dei, in defensione sanctę  
 Ecclesię, infidelium turbis congressus, tempo-  
 ralis vitę dispēdia est passus, ideo æternę vitę  
 particeps est factus. His igitur & aliis penē ia-  
 numeris ab eodem angelo ostensis & auditis,  
 quę ab hoc scripto compendij causa exclusi-  
 mus: idē frater iterũ experget factus, alitibus iā  
 vicina diei concrepantibus, convocatis iisdem  
 fratribus, qui in eius excubiis pernoctauerant,  
 visionis magnitudine permotus, & intoler-  
 bilis timoris anxietate iactatus, per ordinem  
 exposuit secreta visionis suę, cupiens statim,  
 vt veniente patre monasterij: eo præsentē ex-  
 ciperentur sermones eius: Qui cum dicerent,  
 quod fratres meditatione nocturna occupati,  
 claustra silentij irrumperere non auderent: Vos  
 (ait) interea liquenti cerę hæc imprimite, vt  
 aurora lucefcēte, paratiora reddātur. Timeo e-  
 nim ne lingua torpente, visa & audita nequeat  
 propalari: quia cum tanto mihi obligationis  
 damno producēda iniuncta sunt, vt reatus si-  
 lentij huius, sine venia fieri timeā, si meo silen-  
 tio ita depereant, vt per me publicata non pa-  
 teant. Namq; illa vltima sanctarum virginum  
 intercessio, quę pro longiturna vita ad Deum  
 facta fuerat: in ancipiti me positũ dereliquit,  
 vtrum nam pro longitudine æternę, aut istius  
 temporalis vitę prolata fuerit. Si ergo eadem  
 intercessione quam præfactus sum, istius tem-  
 poralis



poralis vitæ induciæ protelata non fuerint, omni scrupulositate postposita, iuxta sponsionem angeli ductoris mei, crastina die sum migraturus. His igitur sermonibus cōhortati, omnia per ordinē ab eo excepta, ceræ impressa sunt. Interea matutinalibus finitis hymnis, visitandi gratia aduenit pater monasterij cū quibusdam fratribus, qui cum iacēti assisteret, secretum petiit. Egressis ergo cæteris, Abbas secum retentis fratribus, ibidem intus remansit. Prolatis ergo in medium, quæ nocturno silentio trepida velocitate tabulis impressa fuerāt, verbo & scripto recapitulauit vniuersa. Et delectulo consurgēs, humi prostratus: pro commissis veniam postulans, & vt intercessores pro eo ad Deum fierent, orauit. Quem cū cernerent nec pallore deformem, nec macie tabescentem, nec dolore membrorum quærantem, nec tactu venæ aut vllius lethalis significatione præuentum: verbis consolatoriis ad spem præsentis vitæ tota fiducia animabant. Quibus eadem responsa (quæ supra) retulit: in nullo se dubium, crastina die migraturum. Totam igitur illam diem & noctē subsequentem, & spatium totius diei succedentis vsque ad vesperam in hoc consumebar, metum vocationis suæ exponendo, breuibus nunc singulis quibusque ad diuersos destinatis est cōmendando, pro absolutione peccatorum suorum intercessores querendo. Ad extremum  
crepu-



crepusculo vespertino subsequēis diei in noctem iam inclinato: fratribus conuocatis, vitam presentis metas in se decursas esse pronunciauit. Et idē psalmodiā eos insistere, precibus omnimodis postulauit. Antiphonas omnes, & psalmorum initia quasi precentor ordiens pro se fecit decantari. His igitur finitis, paululum respirauit: fratribus ad sua strata redeuntibus, huc illucque deambulando estuans, imminente velocitate transitus sui, decidit in lectulum, sumptoque viatico, vltimam huius instabilis vitæ clausit horam. Hæc sunt quæ nos confratres eius & venturis & lecturis testamur: veraque esse cognoscimus.

*Historia recens de admiranda cuiusdam defuncti apparitione, excerpta ex literis Ven. D. Ioānis N. ex qua elucescit auitæ et Catholice religionis veritas, & quantoperè defunctis prosunt suffragia viuorū.*

CAP. XL.

**R**espōsum abs te soror, ad postremas meas literas auidē expectans, prætermittere nō potui, quin te stupendi cuiusdam miraculi, quod hic Syluæducis his diebus contigit in ædibus Dominæ Vlierdēsis, quamprimū certiozem facerē, præsertim cum id negotij mihi ab aliis demandatum sit. Historia nec ficta est, nec somnium, sed reuera contigit iam præterlapso die 23 Nouembris, quo nimirum frater noster maritus tuus eadem forma & vestibus, quibus cum postremo Syluæducis esset, indu-



aus fuit, nigro videlicet pallio, holosericis ca-  
 ligis, aperto capite, iunctis manibus apparuit  
 diuersis & locis, & temporibus ancillæ fami-  
 liæ, cuius supra mentionem fecimus. Tandem  
 pallium remouens, horrendam flammâ ignis,  
 & oculos quasi flammam & lumen emitten-  
 tes ostendit. Quod ancilla videns, præ timore  
 in defectum animi incidit. Filia & earum a-  
 mita, quæ præsentibus erant, cum ex famula pa-  
 trem suum esse intelligerent, vnicè ab eâ con-  
 tenderunt, vt timore isthoc deposito, cum à  
 Deone, an aliundè veniret, & an humana ope  
 iuuari queat, rogaret. Illa autem præ timore  
 non potuit. Consulunt super hac re D. Heltiū,  
 & Ecclesiæ Pastores. Vnus, rogandū esse quid  
 peteret, arbitrabatur, alij in contraria erant o-  
 pinione, quod somnia & nugæ putarentur.  
 Meâ sententiâ, rogandum erat, quid venisset,  
 auxiliumque promittendum, si legitimis mo-  
 dis præstari posset. Nobis de his rebus delibe-  
 rantibus, ecce rursus in forma qua primò, sci-  
 licet non horrenda apparuit, dicens: Quid non  
 iuuas me? quare times? Nihil tibi fiet. Illa re-  
 spondit: Non habeo ob summam trepidatio-  
 nem copiam auxilij. Hæc feria secunda prima  
 luce contigerunt. Apparuit deinde ad nonam  
 & decimam nihil dicens, verum grauer sus-  
 spicia ducens, ac demum hora eiusdem diei se-  
 cunda, dixit: Quid non iuuas me? Illa dixit:  
 Parata sum te iuuare omnibus modis, quibus

T s

per



## 990 COLLATION. SACRAR.

per Catholicam Ecclesiam licet. Respondit ille; hoc est quod haecenus expectavi. Et deducta è cubiculo in atrium, rogavit vt sacra quæ pro defunctis fieri consueuerunt, tria celebrari curaret. Atque vt se Orschotum conferens, istuc ad altare S. Crucis semifestertium offerret, quod ipse cum infirmus aliquando promississet, se 'oblaturum' neglexerat. Consolatus, deinde eam petiuit, vt omnem timorem abiceret, quoniam ipse comitaretur. Petens præterea, vt filiiabus & frairi diceret, vt pro se orare non desisterent. Feria tertia, ancilla Orschotum abiit ad implendum eius desiderium. Ille verò, vt promiserat, nunquam eam reliquit, imò & præiuit eam in domum vsque ad cubiculum, atque inde in templū ad altare S. Crucis. Ibi vterque flexis poplitibus orauit. Illa nesciens vbi oblationem suā relinqueret, ducta est ab eo ad gazophylacium siue receptaculum oblationum, cui eandem imposuit. Feria sexta illa Syluam ducis rediit, nullum cum eo miscens sermonem, quanquam sepè manibus iunctis se ostendebat. Die sabbati manè è somno excitauit, præcepitque vt induta vestibus, in æde D. Ioannis antè Ven. Sacramentum aliquid offerret. Ipse enim hoc aliquando, cum Syluæ ducis pacis inter ciues cõponendæ causa esset, vouerat. Quo peracto, rediit circiter medium quartæ eiusdem diei, & excitauit eam dicēs: Festina, tempus meū hîc breue est. Cum.



Cumque illa se induendo occuparetur, rursus dixit: Festina, non dudum hic ero. Moxque processit in atrium, in quo summa fuit claritas, & petiuit, vt ipsa pro Missis celebratis exsolueret in plura cleemosyna. Adhæc mandauit fratri dici, vt in fide Catholica perseueraret constans, qualem cum esse non dubitabat quidem, monere se tamen id imprimis aiebat, quod vita mortalium variis vt rerum vicissitudinibus & fluctuationibus exposita, sicut ipse per experientiam didicisset, dum aliquando de Catholica religionis veritate dubitaret, quod ipsi grauissimæ pœnæ causa & principium fuerit. Idem & filiabus suis dici petiuit, vt que amita suæ vestigiis iugiter insisterent: monens insuper, vt sine intermissione pro defunctis fidelibus orarent. Si enim sentiremus in quibus essent pœnis, quantumque eisdem preces viuentium fidelium prosint, nec horam, imò nec momentum quidem sine eorum memoria uiueremus. Subiunxit quoque pœnarum suarum tempus fuisse quinque annorum, sed quatuor annorum, totidemque dierum pœnas se per amicorum preces euasisse, iamque in perpetuum esse seruatum: gratias agens sororibus quibusdam Boxtellensibus pro suis precibus. Monebat etiam Dominam Vlierdensem, vt testamentum suum incolumis existens faceret, ne in articulo mortis eo condendo occuparetur, sed soli Deo tunc vacare posset. Petebat insuper à fra-



tre, vxori vt nuntiaret, vt cum filiis suis omnē  
excolet concordiam, ne & illi aliquando idē  
cōtingat quod sibi. Rogatus de statu quorun-  
dam defunctorum, respondit se nihil aperire  
posse, quia à Deo sibi non esset cōcessum, hoc  
tamen addens, vt pro talibus sine intermissio-  
ne orarent. Demum actis tam ancillæ quam  
omnibus qui pro se orauerant gratias, suam  
vicissim operam illis promittens, cum magno  
splendore iunctis manibus in cælum perpetuo  
beatus (vt equidem non ambigo) ferebatur.

Habes breuiter quæ hic hisce diebus, cum  
multis aliis circumstantiis, quas referre longū  
esset, contigerunt, quæ non fabulæ aniles, aut  
somnia sunt, sed reuera sic se res habet, quod  
iurciurando, & testimonio totius familiæ, si  
res exposcit, confirmabitur. Atque hæc idē  
tibi scripsi, vt vnâ nobiscum gaudeas: mihi e-  
nim prodigio simillimum, quod nos de fra-  
tris nostri salute certos reddit, & in auita no-  
stra & Catholica religione nos confirmat,  
quodque non alia sit sectanda religio, nisi illa  
sola, quam à S. Romana & Apostolica Eccle-  
sia, iam inde ab Apostolorum temporibus ad  
nos veluti per manus traditâ accepimus, quâ  
Christus sacri oris sui oraculo plantauit, Apo-  
stoli tradiderunt, Martyres sanguinis sui testi-  
monio consignarunt, vniuersa vno ore docet  
atque obseruat per totū terrarum orbem Ec-  
clesia Catholica. Spero vos aliosque amicos  
nostros



nostros huius historiae relatione plurimum in fide stabiliendos, cunctosque horum temporum novos & perniciosos errores facile repudiaturus, qui tam multos, pro dolor, in aeternae damnationis voraginem praecipitant. Vale.

Cursum Sylvaë ducis 11. Decemb. anno 1581.

*Historia recens & memorabilis, de quodam Arnoldo Huberto, qui post triduanam extasim, admiranda se vidisse testatus, venientes ad se erudiebat ad pietatem.*

## CAP. XLI.

**C**VM circa annum dominicae incarnationis 1559. in pago Buremaliseno comitatus Burani, qui est feudum Ducatus Geldriae, pestis grassaretur, Arnoldus Hubertus, nauta, homo coniugatus, ob vitae integritatem & iustitiae opinionem omnibus gratissimus, nocte quadam diuinitus compellatus, mox uxorem excitat, Surge, inquit, ego vocor. Illa quid causa esset, interrogante, ipsoque instanter respondente, se vocari, velleque suscipere Sacramenta Ecclesiastica, surgunt ambo, Ecclesiam ad eunt. Quae cum noctu ex more clausa esset, coram Crucifixo ante valvas Ecclesiae erecto prostratus, diutissime orauit idem Arnoldus. Interim excitatus Parochus aduenit, cui confiteretur, admittiturque ad participationem diuinorum mysteriorum. Quibus perceptis, domum reuersus, incidit in extasim, aut velut quoddam animae deliquium, ita vt vix eo tempore discerni posset, viueretne an esset mortuus.

Tt 3 tuus.



994 COLLATION. SACRAR.  
tuus. Tandē post triduum ad se reuersus, cepit  
totus admirabūdus clamitare: Vbi, inquit, fui,  
quē & qualia vidi. Atq; ab eo tempore langu-  
idus, per semestre aut circiter lecto decubuit.  
Interim visus est adstātibus frequenter aliquid  
angelicæ aut diuinæ visionis videre, semperq;  
præsentibus velut indignās acclamabat, Nihil-  
ne videtis? Et quasi erigēs sese è cubili, videba-  
tur apparentes angelos prensando vellec õple-  
cti, nec ferebat, vt quisquā verbū inane aut io-  
cosum proferret, aut rideret. Nūncne, inquit,  
*tempus iugandi?* Personas iuxta sæculū nobi-  
liores, aut status, eminētioris agrē ad mittebat,  
at idē nec moniales plerasq; vitę paululū licen-  
tiosioris. Plebeios verò & simpliciores libētē  
ad mittebat, erudiens illos ad pietatē & timorē  
Dei, & creberrimē repetēs has voces, Quid vi-  
di? quæ & qualia cognoui? vbi ego fui? sed &  
crebrò in easdē extases abripiebatur. Illud quo-  
que mirum, quòd toto illo semestri, quo lan-  
guens decubuit, vngues nunquā succreuerint.  
Exacto deinde semestri lenissima morte velut  
placidē obdormiēs, in Domino defunētus est.  
Historiam esse, non fabulam, exposuit nobis  
quidā vir integerrimus ac doctissimus I. V. Li-  
centiatus, domestica cõsuetudine mihi notissi-  
mus, qui eidē Arnoldo proxima fuit affinitate  
coniunctus, sæpissimeq; & valentem & post ea  
languentem vidit & audiuit.

FINIS.

INDEX